




De Conone Atheniensi

<https://hdl.handle.net/1874/255659>

seest agnum 77

DE CONONE ATHENIENSI

A. HENGELVELD



DE CONONE ATHENIENSI

RIJKSUNIVERSITEIT UTRECHT



1298 6596

Diss. Utrecht 1909

DE CONONE ATHENIENSI

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUOD EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI
H. ZWAARDEMAKER, MED. DOCT. ET IN FAC.
MED. PROF. AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI
CONSENSU ET NOBILISSIMAE FACULTATIS
LITTERARUM ET PHILOSOPHIAE DECRETO
PRO GRADU DOCTORATUS SUMMISQUE IN
LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONO-
RIBUS AC PRIVILEGIIS IN ACADEMIA RHENO-
TRAIECTINA RITE ET LEGITIME CONSEQUEN-
DIS FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

:: ADRIAAN HENGEVELD ::

E PAGO PAPENDRECHT DIE LUNAE XXIX

:: M. NOV. A. MCMIX HORA I P.M. ::

UXORI CARISSIMAE.

BRUNSWICK TRUST

Promotori suo, viro aestumatissimo

H. VAN GELDER

*viro modestissimo, ideoque a multis verbis averso, pro
benevolentia et consiliis multoque labore huic opusculo
impenso, viris clarissimis*

H. VAN HERWERDEN,

J. VAN DER VLIET, *piae memoriae,*

B. H. C. K. VAN DER WIJCK,

J. C. VOLLGRAFF,

P. H. DAMSTÉ,

*praeceptoribus suis pro institutione et comitate, viro
clarissimo*

P. H. RITTER,

*pro humanitate his novissimis diebus sibi praestita
maximas gratias agit et habet*

DISSERTATIONIS AUCTOR.

WILHELMUS VAN DER WEL

WILHELMUS VAN DER WEL

WILHELMUS VAN DER WEL
WILHELMUS VAN DER WEL
WILHELMUS VAN DER WEL

WILHELMUS VAN DER WEL

WILHELMUS VAN DER WEL

WILHELMUS VAN DER WEL

WILHELMUS VAN DER WEL

WILHELMUS VAN DER WEL

WILHELMUS VAN DER WEL

WILHELMUS VAN DER WEL

WILHELMUS VAN DER WEL

WILHELMUS VAN DER WEL

WILHELMUS VAN DER WEL

WILHELMUS VAN DER WEL

WILHELMUS VAN DER WEL

WILHELMUS VAN DER WEL

WILHELMUS VAN DER WEL

WILHELMUS VAN DER WEL

WILHELMUS VAN DER WEL

WILHELMUS VAN DER WEL

WILHELMUS VAN DER WEL

WILHELMUS VAN DER WEL

WILHELMUS VAN DER WEL

WILHELMUS VAN DER WEL

WILHELMUS VAN DER WEL

WILHELMUS VAN DER WEL

WILHELMUS VAN DER WEL

WILHELMUS VAN DER WEL

WILHELMUS VAN DER WEL

WILHELMUS VAN DER WEL

WILHELMUS VAN DER WEL

WILHELMUS VAN DER WEL

WILHELMUS VAN DER WEL

WILHELMUS VAN DER WEL

WILHELMUS VAN DER WEL

WILHELMUS VAN DER WEL

WILHELMUS VAN DER WEL

WILHELMUS VAN DER WEL

WILHELMUS VAN DER WEL

WILHELMUS VAN DER WEL

WILHELMUS VAN DER WEL

CAPUT I.

De Fontibus.

Quid est historiae fons? Udalricus de Wilamowitz Moellendorf¹⁾ inter τηγάνην et κρήνην distinguens haec scribit: „die historie prüft was sie trinkt darauf, ob es τηγαῖον ὕδωρ ist, „αὐθιγενὲς oder verschlämmt, durch den filter geschmacklos geworden, von der sonne halbverdunstet. Auch die δλιγή „λιθὰς ist ihr genehm, wenn sie nur ἀκρον ἀστον ist, und „was nach der quelle schmeckt, das nimmt sie, einerlei „wie vermittelt“, et „die urkunden und die aussagen von „zeugen, das sind erst quellen.“

Sic mihi quoque propositum est inter τηγάνης et κρήνας distinguere, initium quidem faciens ἀπὸ τῶν τηγῶν. Quamobrem ante omnia titulos, qui ad Cononem nostrum pertinent, in brevem conspectum componam.

1. Columella reperta in arce: I. G. I, 393, quae donarium fuisse videtur, in qua haec incisa sunt: Τιμόθεος (Κόνωνος) Ἀγαφλύστιος. Cf. cap. II. p. 23 et 24.

2. Basis marmoris pentelici, in duas partes fracta, inventa prope aedem Minervae, quam nos „Parthenon“ dicimus: I. G. II, 1360 (D S¹ 85), ubi haec leguntur: Κόνων Τιμόθεου. Τιμόθεος Κόνωνος. Cf. cap. II. p. 24.

3. Tabula eruta Athenis in arce: C. I. A. IV, 1. 3. p. 165. n. 53^b (D S¹ 46), de custodia, qua Athenienses sinum corinthium intercluserunt a^o. 413; cf. cap. II. p. 26 ann. 4.

¹⁾ Aristoteles und Athen. II. p. 4.

4. Tabula marmoris pentelici: C. I. A. IV. 2. p. 1. n. 1^b (D S² 56), cf. Judeich, Klein-Asiatische Studiën 28, cuius tituli non nisi versus 26 sqq. ad nos pertinent, quibus agitur de navibus atheniensibus, quae post pugnam ad Arginusas factam Sami in insula remanserunt; cf. cap. III p. 52 ann. 3.

5. Fragmenta duo lapidis pentelici eruta in arce: I. G. I. 64. Decretum de honoribus Euagorae Salaminio tribuendis; cf. cap. IV. p. 59 ann. 3.

6. In ecclesia diruta Μύτρὸς τοῦ Σεοῦ meridiem versus a vico Litri (Erythrae). D S² 65. (Hicks¹ man. of Gr. hist. inscr. 70). Decretum de honoribus ab Erythraeis Cononi tributis; cf. cap. V. pag. 80.

7. Angulus sinister superior tabulae marmoris pentelici: I. G. II. 830; cf. cap. V. pag. 84 et 85.

8. I. G. II. 831; cf. cap. V. pag. 85 et 86.

9. I. G. II. 832; cf. cap. V. pag. 85 et 86.

His tribus titulis rationes referunt *τειχοποιοί* de muro Conone auctore restituto.

10. Fragmentum erutum prope theatrum Dionysi: I. G. II p. 397. 10^b (Hicks¹ Man. of Gr. hist. inscr. 72).

Fragmentum decreti de honoribus Euagorae tribuendis facti. cf. cap. V. pag. 85.

11. Lapis extractus ex reliquiis muri antiqui in paeninsula Eetionea: D S² 63 (C. I. A. IV. 2. p. 197. 830^b), qui docet Athenienses iam mense Scirophorione anni 394 muros (Piraei ut videtur) restituere coepisse; cf. cap. V. pag. 85 et 86.

12. Lapis extractus ex reliquiis muri antiqui in paeninsula Eetionea: D S². 64 (C. I. A. IV. 2. p. 197. 830^c) quo agitur de eodem muro restituto, cf. cap. V. pag. 85.

13. I. G. II. 161, qui titulus docet Argivos quoque muro aedificando operam suam praebuisse, cf. cap. V. p. 86.

14. Tabula marmoris albi inventa in metochio Πνυι occidentem versus a vico Βολαδᾶ insulae Carpathi: D S². 69, ex qua apparet Athenienses etiam cum Carpathiis, Cois, Cnidiis, Rhodiis foedera iniisse; cf. cap. V. pag. 87.

15. I. G. II. 9 (pleniū apud Wilhelm in Herme XXIV. 115 titulus editur) de foedere cum Rhodiis ictō; cf. cap. V. pag. 87.

16. I. G. II. 11. f. suppl. p. 7: item cum Iasiis; cf. cap. V. p. 87.

17. I. G. II. 813^b suppl. p. 196; unde Athenienses tutelam sacrorum Apollinis deliacorum recuperasse apparēt; cf. cap. V. pag. 88.

18. I. G. II. 7.b. suppl. pag. 5, de foedere Atheniensium cum Eretrīensibus ictō, Eubulide archonte, cf. cap. V. p. 88.

19. Tabula marmoris pentelici inventa in theatro Bacchi: D S^a 66 (I. G. II. 8); $\betaουλης$ Atheniensium decretum aⁱ 393, quo laudantur Dionysius Syracusanorum tyrannus, Leptines Theoridesque fratres eius, et uxoris frater Polyxenus; cf. cap. V. pag. 89.

Post titulos ea, quae Cononis aequales nobis tradiderunt, tractanda videntur; primo loco agendum erit de Thucydide, Xenophonte, Ctesia. De quibus non mirum videbitur me ea sola proferre, quae de rebus a Conone gestis memoriae prodiderunt.

I. Thucydidis non nisi liber VII^{us} nobis inspiciendus est, cuius libri capitibus 17°, 19°, 26°, 31°, 33°, 34° auctor est Cononem a° 414/3 Naupacti strategia fungentem in Acarnaniā ad Demosthenem et Eurymedontem navigasse. Thucydiades unicus harum rerum nobis fons exstat, cuius testimonium titulus confirmat qui apud DS^a 46 legitur¹⁾. Itaque, si nobiscum reputaverimus, quam certus in aliis rebus auctor sit Thucydiades, nihil erit profecto, cur huic operis parti fidem abiudicemus²⁾.

II. Xenophon de Cononis vita gravissimus nobis testis est. Aequalis enim fuit Cononi et multa, quae ad illorum temporum historiam maximam vim habuerunt, ipse praesens vidit. Quamobrem ex scriptis eius multum hauritur $\pi\gamma\gamma\alpha\tau\omega$

¹⁾ Cf. cap. I. p. 1 sub 30. ²⁾ De Thucydide cf. et alii et Ed. Meyer, Gesch. des Alterthums, Band III § 155—158 et IV § 627. Busolt, Gr. Gesch. III. 2. 616—693. C. Wachsmuth, Einl. in das Stud. d. Alt. Gesch. p. 517—527.

Σδατος. Eo magis est dolendum, quod in Hellenicis multa ¹⁾, quae mari gesta sunt, brevissime perstrinxit, cum Conon maritimo bello potissimum operam dare soleret. De omnibus rebus, quas coram vidi, praesertim quae ad Agesilaum, familiarem suum, pertinent, agit copiosius; ea vero, quibus ipse non affuit, etiamsi a testibus ac spectatoribus acceperit, breviter modo et quasi obiter ²⁾ attingit. Inde fit, ut magna inter diversa Hellenicorum capita exstet discrepantia neque totum opus ei normae respondeat quam a bono rerum gestarum scriptore iure exspectes, ut singulae materiae partes pari atque aequabili cura industriaque pertractentur. Sed hoc nescio an magis etiam vitio ei sit vertendum, quod non semper sine ira et studio rem suam egisse putatur. Sic Agesilaum laudibus efferre numquam destitit; sic prae bello terrestri, quod toto animo amplectebatur, maritimum fere neglexit.

Neque tamen obliviscendum est Xenophontem, ut qui Agesilao familiariter uteretur, omnibus fere eius rebus gestis interfuisse, itaque praeter ceteros idoneum fuisse, qui eas copiosius describeret. Quod igitur facta Agesilai tantum spatii in Hellenicis obtinent, eius rei non haec una causa mihi videtur, quod Lacedaemoniis eorumque rebus tantopere Xenophon favebat, sed etiam quod Agesilai consilia resque gestas optime cognitas habebat.

Accedit, quod Xenophon non velut extra rerum cursum positus e loco superiore eas aspicere solebat, sed in mediis rebus ipse versabatur. Inde non totam scaenam oculis

¹⁾ Non omnia; vide e.g. Hell. I. 6, 15—24, quo loco uberrime narrat pugnam, quam Conon ad Mytilenas cum Callicratida commisit. Praesertim de dolo Cononis (19—21), quem quasi sub conspectum nostrum ponit, tam copiose agit, ut pateat Cononem gratiosum apud eum fuisse. Etiam de pugnis ad Arginusas insulas (I, 6, 26—35) atque ad Aegospotamos (II. 1. 20—29) factis et de Cononis obsidione solvenda (I, 36—38) fusius exponit. Qua re fretus Xenophontem utrique pugnae interfuisse probabiliter coniecit Breitenbach (Einl. i.d. Hell. § 46). ²⁾ Ea re praestat Diodoro Siculo, qui et ipse nobis auctor est haud sernendus. De quo cf. pagina 7 sqq.

complecti potuit. Ea, quae proxime sita erant, paeclare vidit; quae procul, non nisi vaga atque adumbrata prosplexit.

Thucydides, quamquam et ipse aequalis fuit eis temporibus, quae descriptis, tamen, quia in Thracia versari coactus est, omnino extra eas regiones versabatur, ubi bellum peloponnesiacum, quod scripto mandare sibi proposuerat, sedem habuit. Unde factum est, ut scaenam, in qua bellum gerebatur, totam oculis subiectam cerneret. Quod Xenophon facere non potuit¹⁾.

Attamen non hoc maxime nobis opus est, ut historiam legamus summa arte compositam, sed fontem requirimus certissimum, ex quo res fide dignas haurire possimus ad vitam Cononis enarrandam. Hanc ob rem Xenophontis Hellenica nobis maximo usui sunt. Multa ille quidem non memorat; quin etiam, ut Lacedaemoniis faveat, consulto tacere nonnumquam videtur; Hellenica eius digna non sunt, quae re vera Hellenica appellantur, aliorumque testimonii lacunae compleantur necesse est, quae haud raro occurunt; sed quod ad ea attinet, quae nobis tradidit, certissimus fidissimusque auctor in iis habendus est²⁾.

III. Ctesias, medicus ille Parysatidis et Artaxerxis, tribus fragmentis superstribus ea refert, quae cum rege Persarum Conon egit a° 398, sc. in „Persicis” (apud Photium) fr. 63 et 64, et apud Plutarchum, Artax. 21 (Ctesias ed. Gilmore § 94 et 95). Ctesiam testem esse fide indignissimum nemo ignorat. C. Wachsmuth³⁾ de eo scripsit: „Geschichtlich Brauchbares bietet er nicht”. Tamen haec tria fragmenta veritatis speciem exhibere mihi videntur. Ipse enim Ctesias cum Euagora et Conone per litteras colloquebatur, saepiusque ad eorum consilia

¹⁾ Eo, quod Xenophon aetate demum provectus Hellenica sua conscripsit. res ipsa non mutatur. Nam recordatio rerum non minus quam annotationes, quas ante fecerat, ad id ipsum tempus, quo bello interfuerat, animum eius revocabant. ²⁾) De Xenophonte cf. Ed. Meyer, III § 162 et ann.; Busolt, III. 2. 693—701. C. Wachsmuth, Einl. Alt. Gesch. 529 sqq; Breitenbach, Einl. Hellenika; Valeton in Naberico, Lugd. Batav. 1908 p. 387 sqq. ³⁾ Einl. Alt. Gesch. 370.

adhibitus est. Igitur hic quoque πηγαῖον ὕδωρ invenimus.¹⁾

Post rerum scriptores, aetate ab eo non diversos, enumerauntur oratores, qui Cononi aequales fuerunt, sc. Lysias et Isocrates.

IV. Lysias, causidicus ille versutissimus²⁾, qui, si fructum inde capere possent ii, pro quibus orationes scribebat, verum lubentissime detorquebat, cautissime sane adhibendus est. Primum oratione XIX^a nobis erit utendum, qua Aristophanem quendam defendit, filium Nicophemi, Cononi familiaris, deinde locis aliquot orationis XXI^a (§ 7—11). Quibus locis, quae de Conone familiaribusque eius Lysias tradidit, fide indigna non esse videntur. Neque enim usquam patet, quid eius interesse potuerit hic mentiri. Praeterea minime verisimile est, Lysiam in oratione a° 388 vel 387 habita apud eos iudices, quibus omnia de Conone adhuc notissima essent, de Conone falsa referre ausum esse³⁾.

V. Ea, quae Isocrates nobis tradidit, dignissima sunt, quibus credatur. Is enim Cononem bene noverat atque etiam consilium ceperat ἐγκέμπιον eius scribendi⁴⁾. Timotheus, Cononis filius, celeberrimus discipulus idemque familiaris fuit Isocratis⁵⁾. Qui igitur Cononis vitam notissimam habuit, et quaecumque de patre scire volebat, ex filio semper diligenter cognoscere poterat, cum post mortem illius scriberet eas orationes, quae nobis nunc praesto sunt (praecipue IV^a, V^a, IX^a)⁶⁾.

Inter eos scriptores, qui Cononi aequales fuerunt, eosque qui aetate sunt posteriores (Diodorum, Nepotem, Trogum, Plutarchum, alios) vinculi instar intercedunt duo Isocratis

¹⁾ De Ctesia cf. Wachsmuth 366—370. Ed. Meyer, III § 4 et 5. V. § 841. Busolt II^a 621. ²⁾ v. Wilamowitz, Arist. und Athen I. 177 eum confert cum „Numa Roumestan” et cum „Avkat Slus’uhr”!!

³⁾ De Lysia cf. et alii et Blass, Att. Beredsamkeit, I, p. 331 sqq.; de oratione XIX^a cf. pag. 529—539; de orat. XXI^a: p. 494—501. Frohberger in editione Lysiae quam curavit. Ed. Meyer, V. § 852 et 871. ⁴⁾ Isocr. IX, 57: „περὶ μὲν οὖν Κόγωνος ἄλλος ἡμῖν ἔσται λόγος.”

⁵⁾ Isocr. XV, 101 sqq. et Ep. VIII, 8; cf. Photius, Bibl. cod. 260 ed. Bekker p. 486, b. 31; Demosth. LXI (Ἐρωτικός) 46. ⁶⁾ De Isocrate cf. Blass, Att. Beredsamkeit II et Ed. Meyer, V § 882 ann., 908, 923.

discipuli, Ephorus et Theopompus¹⁾, quorum nihil nisi fragmenta quaedam aetatem tulerunt²⁾.

VI. Ephori liber magnam partem nobis superest in Bibliotheca Diodori Siculi, qui in libris XI—XVI scribendis ex nullo fere alio fonte hausit³⁾. Ephorum fontem fuisse Diodori in libris tertio decimo et quarto decimo, qui nunc nos detinent, haec demonstrant: 1° προσβολαι illae συνεχεῖς, quae in obsidionibus occurrunt libri XIII cap. 69, 4 (Andri in insula) et XIII, 76, 5 (Methymnae)⁴⁾; 2° notissimum illud strategema, quod libri XIII cap. 77, 4 isdem fere verbis traditur, quibus cap. 50, 3⁵⁾, cf. XIII, 71 et 106; 3° signum vexillo (*φοινικὶ* vel *συστήμῳ*) datum libri XIII cap. 77, 4—45, 8—46, 3—50, 3—67, 1 et 3; 4° quod totius regionis quae Cymae urbi propior est (ubi Ephorum natum esse novimus) peritissimum fuisse scriptorem appetat, cf. XIII, 77 (ubi agit de Mytilene urbe), 97 (de Arginusis), 100 (de ora circum Cymen sita).

Cum Xenophonte Diodorus (an potius Ephorum dicam?) conspirat vel ab eo pendet his locis: lib. XIII, 74, 1, ubi praefectorum indicem (*τῶν στρατηγῶν τὸν κατάλογον*) transcripsit ex Hell. I, 5, 16⁶⁾; lib. XIII, 76, 2, quo loco eisdem fere verbis eadem narrat, quae Xenophon in Hellenicis I, 6, 1 (*τῷ Λυσάνδρῳ διελῆλυθότος ἥδη τοῦ τῆς ναυαρχίας χρόνου = τῷ Λυσάνδρῳ παρελῆλυθότος ἥδη τοῦ χρόνου*). Praeterea Diod. XIII. 77. 1 = Hell. I, 5, 20 et 100, 6 = II, 1, 16. In lib. XIII, 100 sqq. Diodorus pendet ex Xenophonte, sed testimonium eius corrupit. 105. 1 = II, 1, 20⁷⁾. XIV, 84, 4 = IV, 8, 7. 84, 5 = IV, 8, 8. 85, 3 = IV, 8, 10.

¹⁾ cf. Busolt, III, 2, 705. ²⁾ De quibus cf. C. Wachsmuth Einl. Alt. Gesch. 498—506 et 537—543. ³⁾ cf. Volquardsen, Untersuchungen über die Quellen der Griech. und Sicil. Geschichte bei Diodor XI—XVI, pag. 51—66. Volquardsen Theopompum a Diodoro prorsus neglectum esse censet, quam sententiam omnes viri docti hodierni secuti sunt. Ea sententia autem plane immutanda est, si P (i.e. novus historicus Oxyrhynchensis) idem est qui Theopompus (cf. huius capituli pag. 16 sqq.). ⁴⁾ cf. Busolt III, 2, 709, ann. 2. ⁵⁾ cf. cap. III, pag. 42 ann. 2. ⁶⁾ Ed. Meyer, IV, § 727, ann. ⁷⁾ cf. cap. III, p. 52, ann. 2.

Cum novo scriptore oxyrhynchensi (i. e. P, de quo fusius agam pag. 13 sqq.) arta cognatione coniunctus esse videtur. Nam et Diod. XIV, 79, 8 = P. col. III, 23—26, et tempus, quo Cononem Babylonem iter fecisse auctor est Diodorus (XIV, 81, 4—6) cum iis, quae P tradit, congruit¹⁾.

Diodori testimoniis de Cononis vita (libris sc. XIII et XIV) non nisi maxima cautione utendum est, quia magna pars eorum, quae tradidit, aut falsa, aut conturbata est, aut alia non docet, quam quae ex alio et meliore fonte iam novimus.

Loci, qui nobis usui esse possunt, quia lacunas explent, quae apud Xenophontem occurrunt, hi sunt: XIII, 75, ubi agitur de *συνοικισμῷ* rhodio; XIII, 76, de Callicratida Chii et Tei commorante; XIV, 79, 4 et 7, de auxilio quod Aegyptiorum rex Lacedaemoniis misit; XIV, 79, de Conone Cauni Rhodique versante; XIV, 81, de itinere a Conone Babylonem facto; XIV, 83, de pugna ad Cnidum commissa.

Minus recte traduntur, quae XIII, 69, 3 et 5; 74, 1 et 2; 76, 1; 100, 5; 101 sqq.; 104; 106; XIV, 79; 85, 4. Diodorus narrat.

Conturbata sunt, quae XIII, 76, 1 tradit, neque continuantur iis, quae 77, 1 scripsit. Inter 79, 9 et 97, 1 hiat narratio. Praeterea XIV, 79, 6 et 8, et 83 perturbata sunt; denique locus 83,5 (ubi memorat 85 naves fuisse) discrepat a 79, 4 (ubi 120 fuisse tradit).

Prorsus ficta profert XIII, 77 (de Callicratida Cononem persequente), 78 (de pugna in Mytilenaeorum portu facta), 104 (de Lysandro in Atticam navigante²⁾). In temporum rationibus³⁾ non minus quam in iis quos affert numeris⁴⁾,

¹⁾ cf. cap. IV, pag. 72 ann. 6. Praeterea conferatur: A. von Mess, „die Hellenika von Oxyrhynchos und Xenophon und Diodor”, in Rhein. Mus. LXIV (1909) pag. 235—243. ²⁾ De singulis locis fere omnibus agetur in capitibus sequentibus. ³⁾ De temporum ratione Diodori cf. C. Wachsmuth, Ueber das Geschichtswerk des Diodorus. Leipzig 1892 (Akadem. Geleghen. progr.) I, 15—17 et II, 11. Volquardsen, 35 sqq. 39 sqq. 43 sqq. E. M. Walker, Klio, VIII (1908) p. 362. ⁴⁾ cf. cap. IV, pag. 76 ann. 2.

fide omnino caret. Quae cum ita sint, hoc iam effici potest, Diodorum minime esse repudiandum, quod de vita Cononis complura vere testatur¹⁾, cautissime autem adhibendum esse, neque nisi ad Xenophontem supplendum. Is enim, ubicumque a Diodoro discrepat, ei praferendus est²⁾.

VII. Nepos pessime audire hodie solet, iure ut opinor. Cui rei vita eius Cononis et ipsa amplam praebet materiam. Longum est pro modo huius libelli de omnibus copiosius agere, quae Nepos in hac vita vitiouse vel parum accurate descriptis. Quamobrem non nisi gravissima vitia erroresque breviter attingam.

Cap. I, 1, Cononem copiis pedestribus praefuisse scribit, eumque solum omnium insularum imperium habuisse. Pheras eum iam cepisse tradit postquam vix rempublicam capessivit, quod re vera non factum est ante a^m 393. Cap. I, 2, a pugna ad Aegos Flumen facta Cononem afuisse scribit et sic pergit: „nemini dubium erat, si adfuisset, illam Athenienses calamitatem accepturos non fuisse”! Cap. II, 1, Pharnabazum Ioniae et Lydiae satrapem fuisse perhibet³⁾. Cap. II, 2, Lacedaemonios Agesilaum in Asiam misisse contendit „maxime impulsos a Tissapherne, qui ex intimis regis ab amicitia eius defecerat” (cf. III, 1) et tum demum Pharnabazum et Cononem a rege oppositos esse Lacedaemoniis. Re vera Conon totum iam annum, nauarchus regius, Cypri classem parabat, cum Agesilaus in Asiam est missus propter id ipsum, quod apparatus illi Lacedaemoniis innotuerant. Cap. II, 3: „si ille (i.e. Conon) non fuisset, Agesilaum Asiam Tauro tenus regi fuisse erepturum”. Cap. III, 2: „huius (i.e. Tissaphernis) accu-

¹⁾ Novo scriptore P eruto Diodori auctoritas aucta esse videtur; cf. pag. 14, 15, 16. ²⁾ De Diodoro (Ephoro) cf. C. Wachsmuth, Ueber das Geschichtswerk des Diodorus, Leipzig 1892 (Akad. Geleghen. progr). Busolt, III, 2, 706—726. Ed. Meyer, III, § 150 et 163. Pauly * V, p. 663—704 (Schwartz). ³⁾ Nescio an errorem traxerit ex Diodoro (Ephoro), qui Tissaphernem et Pharnabazum in unum confundere, eique nomen Pharnabazum dare solet, cf. Diod. XIII, 36,5—37,4—38,4—41,4—42,4.

sandi gratia Conon a Pharnabazo ad regem missus (est)". Contra Pharnabazus ipse Tissaphernis accusandi causa ad regem profectus erat aestate anni 398, Conon autumno demum anni 395 Babylonem iter fecit ¹⁾.

Cap. III, 2—4, quomodo Conon in aula babylonia se gesserit, ita narratur, ut superbiam viri Atheniensis, liberae reipublicae civis, minime a Nepote intellectam esse pateat ²⁾. Cap. IV, 2, asseverat Cononem non ante, quam Babylone reverterit, classem instruere coepisse.

Cap. IV, 5, „muros dirutos a Lysandro utrosque” a Conone refectos scribit, vocabulumque „utrosque” ita explicat: „et Piraei et Athenarum”. Procul dubio is, ex quo Nepos hausit, τὰ σκέλη designaverat.

Cap. V, 2 et 3: „(Conon) clam dare operam coepit, ut Ioniam et Aeoliam restitueret Atheniensibus. id cum minus diligenter esset celatum, Tiribazus—Cononem (Sardes) evocavit, simulans ad regem eum se mittere velle magna de re.” Conon autem in mari aegaeo minime „clam” res suas gessit. Legationem quoque, quam socii Sardes miserunt, Nepotem plane ignorasse manifestum est. Haec sufficient de iis, quae Nepos perperam tradidit.

Iam venimus ad illa, quae omnino non tradidit, quae tamen Cononis vitam describens tradere debuit. Eorum quoque non nisi praecipua breviter perstringam: Primo loco narrare neglexit Cononem a° 407 in Alcibiadis locum cum summo imperio esse suffectum, deinde silentio praeteriit eundem, pugna cum Callicratida ad Mytilenas commissa, ibi exitu interclusum esse, postea ad Euagoram eum confugisse Cyprique moratum esse, Rhodum insulam a Lacedaemoniis defecisse, alia.

Haec omnia efficiunt, ut vita illa nullius fere pretii sit putanda. Talis enim rerum scriptor, qui tot ineptias conscribere non veretur, qui idem plurimas res, quas tradere eum oportebat, praetermittit, etiam in paucis, quae cum

¹⁾ cf. cap. IV, pag. 72. ²⁾ cf. cap. IV pag. 73 ann. 4.

aliorum auctoritate non pugnant, vix dignus est cuius ratio habeatur¹⁾.

In tanta rerum conturbatione, cuius causa non dubito quin scriptoris ipsius neglegentia sit atque ignorantia, quibus ex fontibus Nepos hauserit, difficilime diiudicatur. Cap. V. 4 ipse Dinonem laudat, sed quam parum fide dignus sit, etiam in auctoribus suis referendis, Busolt in vita Alcibiadis demonstravit²⁾.

VIII. Justini, Trogi Pompei epitomatoris, inspicienda nobis sunt lib. V cap. 5—6, et VI cap. 1, 2, 3 et 5. Lib. V cap. 5—6 tam incerta ac perturbata est narratio, ut cognoscere, quid sibi velit, arduum sit. Agit ibi de proeliis ad Notium, Mytilenen (Arginusas?), Aegospotamos factis, sed nusquam eorum locorum nomina affert! Si autem eas paragraphos, a fine exorsi, retro perlegerimus, ambages expediri aliquatenus possunt. Sic enim reperiemus Justinum lib. V, 6, 9—10 pugnam ad Aegospotamos factam spectasse, lib. V, 6, 4 ad Mytilenen, lib. V, 5, 3 ad Notium. Denique non nisi animo benevolo ac prompto conicere licet his tribus verbis: „vix libertatem tuebantur” (lib. V, 6, 6) proelium ad Arginusas commissam designari.

In lib. V. 5—6 scribendis ex Ephoro hausisse videtur.³⁾ Liber VI iam dignior est, ad quem animum nostrum convertamus. In capitulis 2 paragraphis 16—17 omnia confusa sunt; capitulis 3 paragraphi 1—11 nullius pretii sunt habendae. Sed ceteris testimoniis eius uti possumus. Multis

¹⁾ Max Schmidt, „Konon” (dissert. Leipzig 1873) pag. 11 scribit: „Trotz mannichfacher Schwächen ist aber diese Biographie für uns sehr wichtig, weil sie sich im Wesentlichen auf eine uns verloren gegangene treffliche Quelle stützt, auf Deinon”. ²⁾ Busolt, Gr. Gesch. III, 2, 753, cf. Wachsmuth, Einl. alt. Gesch. 213: „... während die grossen Historiker Thucydides, Theopompos, Polybius u. a. mehr citirt als benutzt sind.” — Plura de Nepote leguntur apud Busolt, III, 2, 750—754. Wachsmuth, 209—213. Pauly* IV, 1408 sqq. (Wis-sowa). ³⁾ Fricke, Untersuch. über die Quellen des Plut. im Nikias und Alkib. etc. Leipzig, 1869.

locis ex Diodoro¹⁾, nonnullis ex P²⁾ eum pendere perspicuum est. Dignum est notatu Justinum unum, praeter P, militum seditionem Cauni factam memoriae mandasse³⁾.

Justinus igitur, quamvis praefterendus Nepoti, tamen ab eo, qui Cononis vitam descripturus est, cautissime est adhibendus⁴⁾.

IX. Plutarchi nobis praesto sunt vitae Alcibiadis (cap. 34—37), Lysandri (cap. 4—7, 9, 11), Agesilai (cap. 6, 10, 23). Omnia, quae his capitibus continentur, fide digna sunt. Verisimile est desumpta esse ex Xenophonte, Ephoro, Theopompo, sive ipsorum scripta ad manum habuit Plutarchus, sive apud posteriores, qui illis usi erant, tradita invenit. Vitae Alcibiadis cap. 34—37 maximam partem ex Xenophonte hausta sunt, nonnullis rebus ex Ephoro et Theopompo additis⁵⁾. Vitae Lysandri caput 4 ex Xenophonte et Ephoro pendere videtur; 5 ex Xenophonte, Ephoro, Theopompo; 6 ex Xenophonte et Theopompo; 7 ex Xenophonte; 9 ex Xenophonte et Ephoro⁶⁾; 11 ex Xenophonte et Theopompo. Composita igitur sunt ex Xenophonte, Ephoro, Theopompo⁷⁾.

Agesilai vitae cap. 6 depromptum est ex Xenophontis Hellenicis (III, 4, 1, cf. Ages. I, 6 sqq); 10 ex Xenophonte (III, 4, 29), in quo capite ipse Plutarchus ex Theopompo se hausisse scribit; 23 ex Xenophonte (IV, 8, 7). Ergo capita illa ex Xenophonte et Theopompo confluxisse apparent⁸⁾.

X. Polyaeni Strategemata utile non multum afferunt. Inspicienda sunt libri Iⁱ capita 44; 45, 2; 48, 2, 4, 5;

¹⁾ VI, 1, 7—9 = Diod. XIV, 39, 1; VI, 2, 1—2 = Diod. XIV, 79, 4; VI, 2, 12 = Diod. XIV, 81, 4—6; VI, 2, 15 et 16 = Diod. XIV, 81, 6. ²⁾ VI, 2, 11 = P, col. XVI, 2 et XVI, 29—XVIII, 33. Cum P et Diodoro conspirat in eo, quod iter a Conone Babylonem susceptum hiemi anni 395/4 attribuit, cf. cap. IV pag. 72 ann. 6. ³⁾ cf. cap. IV pag. 71 ann. 4. ⁴⁾ De Justino (Trogo) cf. Wachsmuth, Einl. alt. Gesch. 108—116. Busolt, III, 2, 754; Ed. Meyer IV § 722 ann. ⁵⁾ Busolt, III, 2, 742. ⁶⁾ cf. cap. III pag. 52 ann. 1 et 7; 53 ann. 5. ⁷⁾ Busolt, III, 2, 747—750. ⁸⁾ de Plutarcho cf. Wachsmuth, Einl. alt. Gesch. 214—222; imprimis Busolt, III, 2, 727—750.

libri VI¹ 27. E quibus I, 44 magnis vitiis laborat; 48, 2 strategema notissimum narrat, quod tamen ab hoc loco alienum est (cf. cap. III pag. 42 ann. 2); 48, 5 factum levissimum memorat; VI, 27 narrationem conturbatissimam exhibet. Itaque non nisi I, 45, 2 et 48, 4 usui nobis sunt, quamquam 48, 4 nonnulli errores inveniuntur. Pro fontibus in his locis scribendis Polyaeno fuerunt Ephorus et Xenophon¹).

XI. Orosius, quatenus a nobis adhiberi potest (i. e. lib. II, 16 et III, 1) tantum non ad verbum exscripsit Justinum, qua de causa eum neglegere sine damno licet.

XII. Magni momenti denique est P, qua littera insinuitur scriptor novae historiae graecae, cuius fragmenta, in papyro quodam perscripta, eruta sunt abhinc aliquot annos Oxyrhynchi, in pago Aegypti. A° 1908 P primum in lucem editus est Londinii a viris doctis Grenfell et Hunt, in „The Oxyrhynchus Papyri, Part V, n° 842”, copiosoque commentario ornatus est, adiuvantibus viris doctissimis Blass, Ed. Meyer, von Wilamowitz, aliis. Liber secundo ante Christum saeculo perscriptus esse videtur. Fragmenta agunt de duobus annis 396 et 395. Nemini igitur mirum videbitur, Cononem nostrum in eis fragmentis saepenumero memorari.

Hanc ob rem P nobis maximi momenti est, quia, a Xenophontis ratione²) longe diversus, maritimo bello primum locum assignare solet, de quo optime edoctus fuisse videtur, praecipue de rebus a Conone gestis.

Nova Hellenica opus satis amplum fuerunt, scriptum ab homine fide digno et rerum cognitione non mediocriter instructo, qui annualium modo per singulos annos librum suum digessit, quam ob rem non magis quam Thucydides ab alia re ad aliam subito transire perhorrescit.

Verisimile est P historiam suam scribere coepisse inde ab anno 411, quo anno Thucydidis opus abruptum esse novimus, et perrexisse usque ad pugnam ad Cnidum

¹⁾ cf. J. Melber, Ueber die Quellen etc. Polyäns. Teubner 1885, pag. 534, 444, 445, 446, 446, 596. ²⁾ cf. cap. I pag. 3—5.

factam a° 394¹⁾ (fortasse usque ad annum 387, i. e. ad pacem Antalcidae). Scripsit autem post annum 387, sed ante annum 346²⁾.

Optimatum studiosum eum fuisse appareat, attamen sine ira et studio res descriptsit. Columnae XI vs. 1—34, quibus seditionem rhodiam narrat, magna cum aestimatione agit de moderatione victorum popularium, neque umquam de Conone, qui et ipse erat popularis, invidiosum iudicium fecit. Quin etiam ipsum Cononem gratum sibi esse ostendit, e. g. col. XVIII, 30—32: „τὸ μὲν οὖν βασιλικὸν στρατόπεδον οὕτως εἰς μέγαν κίνδυνον προελθόν διὰ Κόρωνα καὶ τὴν ἐκείνου προθυμίαν ἔπαινσατο τῆς ταραχῆς.” Item col. XVI, 29—XVIII, 33, ubi de seditione exponitur, quae Cauni orta est, manifesto vim ingenii consiliique admiratus esse invenitur, qua Conon in rebus difficilibus periculosisque utebatur.

In hac quoque re a Xenophonte differt, quod non, sicut ille, praelato Agesilao, bellum maritimum Cononisque res gestas breviter perstringit, sed probe intellexit Cononem, quippe qui Lacedaemoniorum maris imperium tandem delevisset, Atheniensium restituisset, dignum esse, qui iuxta Agesilaum, quin etiam ante eum historia illustraretur.

Rhetorum arti P deditus non est, neque ullae apud eum inveniuntur orationes, praeter unam, quae non nisi novem vocabulis continetur (col. XI, 22—23). Genus scribendi est rigidum, nullo colore ac varietate distinctum; non nisi in seditionibus rhodia cauniaque describendis paulo fit vividius. Hiatum vitare solet³⁾.

Inter P et Xenophontem nulla vincula intercedunt; cum Diodoro (Ephoro) arta cognatione eum coniunctum esse perspicuum est.

¹⁾ Grenfell—Hunt, p. 122; Walker, Cratippus or Theopompus? Klio VIII (1908) p. 356—357. ²⁾ Grenfell—Hunt, p. 124; Walker, Klio VIII, p. 361 mavult: ante annum 356. Passim etiam fusius de hac re egerunt Grenfell—Hunt et Walker. ³⁾ Grenfell—Hunt, p. 123—124; Walker, Klio VIII, 365; cf. K. Fuhr in Berl. Phil. Wochenschr. 15 Febr. 1908.

Polyaeni VII, 16 e col. VII et VIII excerptum esse videtur. Justinus quoque (VI, 2, 11) ex P hausit. Neque cum Nepote, neque cum Plutarcho P quidquam commune habet¹).

Hae sunt partes novae historiae, quae nobis usui esse possunt: col. I, 1—33; II, 35—40; III, 1—5, quibus de Demaeneto Athenensi agitur Cononi auxilium ferenti; col. III, 20—26 de Pollide laconico nauarcho deque nonaginta navibus, quibus classis Cononis Cauni est aucta; III, 31—40 de motu quodam, quem ibidem cum navibus fecit; VII, 4—VIII, 42 de Tissapherne ab imperio summoto atque imperfecto; XI, 1—34 de Rhodiorum republica commutata; XV, 32—39 de Chiricrate Pollidi succedente et de Cononis itinere Caunum facto; XVI, 1—29 de Conone Cauno ad Tithraustem profecto ut pecuniam ab eo peteret; XVI, 29—XVIII, 33 de seditione caunia²).

Inter quae fusius describuntur Demaeneti expeditio, seditio Rhodiorum, iter Cononis ad Tithraustum factum, seditio caunia.

Maximi momenti haec sunt: 1°. col. III, 23 — 26 fere ad verbum congruunt cum Diod. XIV, 79, 8, unde appareat Diodorum cum P artius cohaerere.³) 2°. col XI, 1 — 34 docent Rhodiorum defectionem ab Lacedaemoniis non confundendam esse cum reipublicae commutatione, immo alteram rem ab altera aliquot mensibus distare.⁴) 3°. col. VII, 4 — VIII, 42 mendacii coarguunt Nepotem, qui tradidit (cap. 3 et 4) Cononem in aula regia commorantem auctoritate sua effecisse, ut Tithraustes in Asiam mitteretur, qui Tissapherni imperium adimeret; nunc enim cognoscimus, Tithraustum iam in Asiam profectum esse, antequam Conon Babylonem iter ficeret.⁵) 4°. Solus P (col. XV, 32 — XVI, 29) auctor est, Cononem Rhodo Caunum, inde Sardes iter fecisse, ut a Tithrauste pecuniam peteret,⁶) ibique cum

¹) Grenfell—Hunt, p. 124-125. ²) De singulis locis cf. caput IV.

³) cf. cap. IV. pag. 66 ann. 8 et cap. I p. 8. ⁴) cf. cap. IV p. 68—70.

⁵) cf. cap. IV p. 68 ann. 9 et 72 ann. 6. ⁶) cf. cap. IV p. 70 et ann. 5, quo loco similitudinem quandam inter Pet Justinum esse demonstratur.

eo congressum esse.¹⁾ 5°. Solus P, praeter Justinum (VI, 2, 11) seditionis cauniae mentionem facit (col. XVI, 29 — XVIII, 33²⁾). 6°. P Cononem iter Babylonem suscepisse narrat hieme anni 395/4, qua in re cum Diodoro (XIV, 81, 4 — 6) et Justino (VI, 2, 12) conspirat, sed discrepat a Nepote (V. Conon. III) et Pausania (III, 9, 2), qui, iniuria ut opinor, hiemi anni 396/5 id iter attribuunt.³⁾ 7°. col. XV, 33 et XXI, 26 mentio fit nauarchi cuiusdam laconici, adhuc prorsus ignoti, Chiricratis, qui inter Pollidem et Pisandrum munere functus est.⁴⁾ 8°. col. XXI, 26 Pancoli cuiusdam memoriam servavit, Chiricratis legati, qui autumno anni 395 cum quinque navibus circum Hellespontum versabatur.⁵⁾

Omnia ea, quae pag. 15 ex novo rerum scriptore P enumeravi, fide dignissima mihi esse videntur; e plerisque, quae uberius pertractata sunt, manifestum est scriptorem etiam de rebus minutis accuratissime edoctum fuisse. Accedit, quod temporum rationibus rectis ac dilucidis uti solet. Ergo concludere licet, P auctorem nobis esse magni momenti. Nam quae apud Xenophontem brevia et quasi mutilata inveniuntur — res mari gestas in primis dico — ea quod melius iam intellegi possunt, novo auctori acceptum referimus. Hoc quoque gratum nobis accidit, quod eius testimonio accepto, melius quam antea de Diodoro existimari potest.

Iam venimus ad gravissimam quaestionem, quis sit P? Ea quaestio animos virorum doctorum maxime commovit, unde iam perspicitur, quanti fragmenta eius scriptoris ubique habeantur.

Sed, cum tot viri docti clarissimi de ea re sententias suas tulerint, easque minime inter se consentientes, equidem de quaestione illa denuo non sum acturus, etiamsi modus huius libelli mihi permitteret. Satis habebo quaestione ipsa cum virorum doctorum sententiis summatim exposita,

¹⁾ cf. cap. IV p. 71 et ann. 1. ²⁾ cf. cap. IV p. 71 ann. 4. ³⁾ cf. cap. IV p. 72 ann. 6. ⁴⁾ cf. cap. IV p. 75 ann. 3. ⁵⁾ cf. cap. IV p. 76 ann. 2.

paucisque additis, denique, quid ipse sentiam, breviter aperire.

1. Viri doctissimi Grenfell et Hunt, qui editionem novorum Hellenicorum curaverunt, integro etiamtum iudicio tota quaestione undique considerata,¹⁾ haec collegerunt: Eum scriptorem quem P appellamus, composuisse historiam plenissimam, quae Thucydidis historiae continuaretur, ageretque de iis annis, qui inter 411 et 394 intersunt. Hanc ob rem Ephorus, quem historiam universam conscripsisse non ignoratur, excipiens est, quamquam is animum nostrum statim in se convertit, si meminimus Diodorum saepenumero cum P congruere. Historiam autem rerum ipsius auctoris aetate gestarum, qualem papyrum nostram continere manifestum est, a Theopompo scriptam esse novimus. Hellenica eius egerunt de rebus ab anno 411 usque ad 394 gestis, quam ob rem Theopompus a viris doctis Ed. Meyer et von Wilamowitz-Moellendorf auctor habetur papyri.

Deinde editores argumenta sex (Eduardi Meyer) proferunt, quibus sua nonnulla adiciunt, quibus demonstretur Theopompo papyrus deberi. Quibus altera sex argumenta superaddunt, quae prioribus obloquuntur. Denique pag. 139 haec legimus: „To reject Theopompus and take refuge in complete agnosticism is most unsatisfactory, for admittedly P was a historian of much importance, who has largely influenced later tradition, and since his work survived far into the second century, his name at any rate must be known.”

Tertio loco ab editoribus quaeritur, an Cratippus fortasse scriptor fuerit, cui Blass papyrus attribuit. Nam hic et ipse historiam rerum inter annos 411 et 394 gestarum conscripsit (Plut. de gloria Athen. p. 345, C — E). Pauca, quae de Cratippo innotuerunt, ad Blassii sententiam optime quadrant. Quae si vera est, ipsa illa cognatio, qua P et Diodorus coniuncti esse videntur, aptissime explicari potest; nam tum Diodorum ex Ephoro, hunc ex Cratippo hausisse manifestum est.

¹⁾ „The Oxyrhynchus Papyri.” Part. V pag. 125—142.

Postremo editores optionem nobis dant utrum Theopom-
pum cum ipsis eligere malimus, an potius Cratippum;
tandem disputationis hunc finem faciunt (p. 142): „Call
him by what name we will, our authors work entitles
him to be classed among the select band of Greek historians
of the first rank.”

2. G. Busolt (Der neue Historiker und Xenophon, in Herme 43 (1908) p. 255 — 285) a Theopompo conditum esse opus censet. Hic quoque arbitratur, P ab Ephoro, quem a Diodoro excerptum esse constat, in Historiis suis scribendis adhibitum esse. Praeterea scriptorem accusat, quod res non ab omnibus partibus spectaverit, eumque cum studio ac leviter scripsisse contendit¹⁾. Ea, quae Xenophon in Hellenicis tradidit, P multis locis consulto immutavisse asseverat multaque ad suum arbitrium finxisse (p. 283), quamquam haud pauca recte tradita et e puris fontibus hausta esse non negat. In scriptore P non multa igitur Busolt invenit, quae sibi laude digna esse viderentur.

3. A von Mess (Die Hellenika von Oxyrhynchus, in Rhein. Mus. 63 (1908) pag. 370 — 391) P scriptori, quem id egisse dicit, ut ipse quoque per singulos annos historiam enarrans Thucydidis opus persequeretur, nobilissimum inter historicos locum assignat. Nec tamen Ephoro, nec Theopompo opus deberi ei videtur, verum scripsisse res ipsius aetate gestas virum ceteroquin nobis ignotum, ad quas cognoscendas neque Xenophontem, neque Ephorum adhibuerit. „Er steht für sich. Er ist erste Quelle” ($\tau\gamma\gamma\gamma$ igitur). Deinde admonet P Cononis esse studiosum, eundemque Atheniensem fuisse ostendit. Postquam denique exposuit, quam ob rem Cratippus praferendus sit, his verbis perorat: „Unser Wissen ist Stückwerk, aber wenn wir wählen wollen zwischen Theopomp und Kratippos, so werden wir, so scheint, Kratippos wählen müssen.”

4. U. Wilcken (Ein Theopompfragment in den neuen Hellenika, in Herme 43 (1908) pag. 475—477) P VI, 44

1) Ipsius verba sunt: „einseitig, parteiisch und oberflächlich.”

sqq. comparatis cum Theopompi fragmento 290 (Strabon. XIII, 629) scriptorem P eundem fuisse ac Theopompum contendit.

5. E. M. Walker (Cratippus or Theopompus? Klio VIII (1908) pag. 356—371) viris doctissimis Grenfell et Hunt assentitur „Hellenica nova” post annum 387 et ante 346 scripta esse statuentibus, sed anno 356 definire mavult terminum ad nostra tempora ducentem. Primum demonstrat P non esse ex Atthidum, quae dicuntur, scriptoribus, sed aut Ephorum eundem esse quem P, aut Ephorum ex P hausisse. Tum multis verbis ostendit P eundem, quem Ephorum, esse non posse.

Inquirit deinde in ea argumenta, quae Theopompum has res scripsisse nonnullis indicare visa sunt, denique omnia, quae huic sententiae obloquuntur, tripartito complectitur: 1° quae attinent ad temporum rationes, 2° ad cognationem, qua cum aliis scriptoribus P conjunctus esse videtur, 3° ad genus dicendi. Primo loco ostendit Walker, si P idem sit qui Theopomus, hunc viginti duos annos natum iam ad librum decimum Hellenicorum suorum pervenisse putandum esse. De cognatione haec efficit: scriptores, qui cum P conjuncti sint (Pausaniam, Polyaenum, Justinum) nullis vinculis cum Theopompo ligari; eos contra, qui ex Theopompo pendeant (Nepotem et Plutarchum) cum P minime cohaerere. Quod ad genus dicendi pertinet, admonet Theopompum a° 352 λόγου ἐπιτελφίαν in Mausoli honorem composuisse, qua praceptorum suum Isocratem vicerit. Num fieri posse videri, ut scriptor tam insignis, fere eodem tempore, quo rhetorem celeberrimum superaverit, Hellenica sua scripserit sermone longe diverso i. e. rigido et duro? Toti de Theopompo disputationi Walker hunc finem imponit (pag. 366): „To put it shortly. If the composition of the unknown authors work is assigned to a date earlier than 356, the chronological argument is fatal to his identification with Theopomus. If the composition is assigned to a later date, the argument from style is not less fatal”. Ergo Theopompo opus assignari non potest.

Postremo Walker affirmat, Cratippum scriptorem fuisse posse, et sicut Grenfell et Hunt (p. 141), ipse quoque exponit (p. 370) facile intellectu esse, Cratippi nomen perraro inveniri, si modo papyri nostrae auctorem fuisse acceperimus. Nam cum Ephorum (Diodorum) ex Cratippo hausisse constet, nemini iam mirum posse videri ipsum Cratippum, quippe qui rigido esset sermone nullaque varietate distinctus, ab Ephoro nitidoque illo Xenophonte mox submotum esse. Itaque P Cratippum esse profitetur. In fine (p. 371) Walker iudicium suum profert de disputatione Georgii Busolt in Herme 43 scripta.

6. Felix Jacoby (Ueber die Entwicklung der griechischen Historiographie. Klio IX. 1909, pag. 80—123) pag. 97 ann. 2, breviter de quaestione nostra agens et ipse iis assentitur, qui cum Blassio P scriptorem eundem quem Cratippum fuisse existimant. Sicut Walker (cuius disputationem nondum legerat) Jacoby quoque censet et temporis rationem et genus dicendi testimonia esse gravissima contra Theopompum; denique haec addit: „Wollen wir dem Anonymus einen bestimmten Namen geben, so steht wirklich nur Kratippos zur Verfügung”.

Quid ipse sentiam, paucis verbis dici potest. Editores Grenfell et Hunt iudicio sine ulla cupiditate facto, praeterea tam copiose rem tractaverunt¹⁾, ut quicumque suo iudicio

1) Ad eorum disputationem haec tantum admonebo: 1°. in media pagina 129 editores exponunt, quod argumentum Meyer (v. Wilamowitz) secundo loco attulerit pro Theopompo. Dicit enim, sibi non mirum videri, Theopompum genere suo dicendi ardenti atque eloquenti non usum esse in historiis scribendis. Deinde ita pergit: „in fact the extant fragments of Theopompos' Hellenika are not dissimilar in style from P.” Quod ut probet, quattuor fragmenta Theopompi affert quae omnium longissima sunt, quorum tamen longissimum non amplius sex versuum et dimidii est (cetera $1\frac{1}{2}$, $1\frac{1}{2}$, 3 versuum). Haec mihi pauciora esse videntur, quam ut quis iis fretus de Theopompi Hellenicorum sermone iudicium faciat, multo pauciora certe, quam ut cum iis comparetur genus dicendi P scriptoris, de quo optime iudicari potest. Huius enim plura nobis supersunt quam fragmenta aliquot brevia atque abrupta, sicut Theopompi Hellenicorum, immo

uti vult, ab eorum disputatione quasi exordio proficiisci debeat. Nemo aliter facere posse mihi videtur, quin cum iis haec concludat: aut Theopompus scripsit, aut Cratippus.

Busolt animo iam praeoccupato disputationem suam scripsisse mihi videtur. Postquam iam inde ab initio Theopompum cum novo historiarum scriptore confudit, omnia quae in Theopompo reprehendenda ei videbantur, in P eadem esse repperit. Quod admirationem nemini scilicet movet! Busolt in ea, quae P de bello terrestri narrat, praecipue impetum facit, quia de P iudicium non fert, nisi Xenophonte comparato. Quae vero ex papyro nobis maximo usui sunt (rerum rhodiarum mutationem v. c. et seditionem cauniam), ea recte tradita esse et e puris fontibus hausta Busolt minime negat. Quod nobis maximi pretii est.

Wilckenii disputatio iis nititur, quae ipse ad scriptoris verba supplenda excogitavit. Tam multa enim in libro manuscripto desiderantur, ut mutilata illa, quae supersunt, non nisi tertiam partem pristini textus occupent. Postquam supplevit, tum demum P cum Strabone (Theopompo) congruere efficit. Ea, quae inseruit, probabilia fortasse sunt, utique incerta. Mihi quidem argumentatio in lubrico

vero longiores nonnullae continuaeque narrationes (cf. cap. I pag. 15). Omnino vix credendum mihi esse videtur, eundem scriptorem in operibus aliis longe aliam scribendi rationem usurpavisse.

2º. In eorum argumentorum numero, quae contra Theopompum afferuntur, editores pag. 132 (3º) hoc memorant, quod orationes in P omnino desunt, adduntque: „It is possible however that the absence of speeches in P is due to accident.” At, si P orationibus ornare opus voluisset, plurimas certe eas scribendi occasiones repperisset. Num Theopompus ille, orationum avidissimus, rhetorum artis peritissimus, Cononem, quem P scriptori gratum fuisse iam vidimus, orationes nitidas atque expolitas habentem inducere praetermisisset? Quae tandem exquisitior opportunitas existere umquam potuit orationes conscribendi quam rerum rhodiarum commutatione praeparata vel deinde peracta, praecipue cum Conon in contionem ibi prodiret, ubi et rostra et audientium corona ei praesto erant (P XI, 1—34), vel, si id mallet, in seditione caunia (P XVI, 29 — XVIII, 33)?

et praecipiti stare videtur, quae, non nisi sex versibus nixa, quorum duae fere partes suppletæ sunt, inde colligat Theopompum papyri fuisse scriptorem.¹⁾

Von Mess strenue rem suam egisse sententiamque optime probasse mihi videtur. Cuius conclusioni, Cratippo papyrum nostram deberi, libenter equidem astipulor. Quae sententia mihi etiam confirmatur a Felice Jacoby, sed maxime a viro doctissimo Walker. Eius enim disputatio praeclara argumentis manifestis, quae 1°. temporum rationibus, 2°. cognatione scriptorum, 3°. dicendi genere nituntur, prorsus mihi persuasit. Viris igitur doctissimis Blass, von Mess, Jacoby, Walker assentior Cratippum papyri scriptorem esse habendum. Unde sequitur P (= Cratippum) in ordine scriptorum, de quibus ante egi, ponendum esse inter Thucydidem Xenophontemque.²⁾

¹⁾ cf. Grenfell-Hunt pag. 219 et Jacoby, Klio IX, p. 97, ann. 2, qui addit: „Ueberhaupt aber ist die Beweisführung nicht schlüssig, weil Uebereinstimmung und Abweichungen zwischen Anonymus und Strabon sich viel besser erklären, wenn Theopomp den Anonymus benutzt hat, die Quellenmässige Reihe also Anonymus — Theopompos — Strabon ist.” ²⁾ cf. Plut. de gloria Ath. p. 345. C — E, ubi temporum ratione habita, sese excepisse dicuntur Thucydides, Cratippus, Xenophon etc. cf. Von Mess, Rhein. Mus. 63 (1908) pag. 387.

CAPUT II.

Κόνων Τιμοθέου Ἀναφλύστιος vetere et nobili genere ortus est, quod iam nomine eius brevi parumque perspicuo Κόνων²⁾ commendatur.¹⁾ Insuper unus e Cononis maioribus a Plutarcho in vita Solonis c. 15 nominatur,³⁾ quo loco Plutarchus narrat, Solonis familiares, de eius consilio certiores factos σεισαχθείας constituendae, fiducia abusos esse, quam Solon in iis collocavisset. Magna enim pecunia mutua sumpta agros emerunt; deinde, Solonis legibus promulgatis, pecuniam sumptam minime reddiderunt, Solonis praescriptis nisi, unde magnas copias sibi paraverunt. Eorum amicorum nomina commemorat Plutarchus: „ἐκοινώσατο τῶν φίλων οἰς μάλιστα πιστεύων καὶ χρώμενος ἐτύγχανε, τοῖς περὶ Κόνωνα καὶ Κλεινίαν καὶ Ἰππόνικου.” Conon ille igitur Soloni erat familiarissimus. Eadem narrationem apud Aristotelem⁴⁾ legimus, sed amicorum nominibus omissis. Aristoteles praeterea addit: „ὅτεν φασὶ γενέσθαι τοὺς ὑστερού δόκοῦντας εἶναι παλαιοπλούτους”⁵⁾

Deinde Cononis cujusdam memoria servata est in titulo I. G. I 393, inciso in columella marmoris pentelici, reperta in arce, qui donarium ornassee videtur, ubi haec leguntur:

¹⁾ v. Wilamowitz-Moellendorf, Aristoteles und Athen I. 62. ²⁾ Nomen Κόνων saepe invenitur; cf. Kirchner, Prosopographia Attica, ubi nomen undevicies legitur: no. 8699 — 8717. ³⁾ Kirchner Cononem illum Solonis familiarem non nominat. ⁴⁾ Aristoteles, Ἀθηναίων πολιτεία, VI, 2. ⁵⁾ cf. Busolt, Griechische Geschichte II^a 42. A: „τοῖς περὶ Κόνωνα καὶ Κλεινίαν καὶ Ἰππόνικου,” also die Ahnen des Konon, Alkibiades und Kallias. Das sind die ὑστερού δόκοῦντες εἶναι παλαιόπλοιοι.”

„Τιμοθ[ε]ος [Κ]όνων Ἀναφλύστιος.” De quo Dittenberger (D S² 14) haec profert: „Medio quinto a. Chr. saeculo non recentior titulus. Cononis, qui moenia Athenarum restituit, patrem „hunc esse haud improbabiliter coniecit Rossius.” Conon hic igitur avus Cononis nostri est, idem fortasse atque ille, quem anno 462/1 archontem fuisse novimus.¹⁾ De Conone eo nihil aliud scimus, quamobrem eum virum parvi momenti fuisse nobis conicere licet. Archontis enim munus lege anni 487/6, qua archontes non amplius creandos sed sorte designandos sanctum erat, splendore suo erat orbatum, unde archontum bonitas semper imminuta est. Et quamquam in fastis archontum postea quoque saepius nomina virorum vetere nobilique genere natorum leguntur, sicut hoc loco Cononis,²⁾ tamen virorum nomina re vera clarorum in fastis non iam inveniuntur.

Pater Cononis est Τιμόθεος Κόνωνος Ἀναφλύστιος, cuius mentio fit I. G. I 393, ³⁾ I. G. II 1360 (= D S² 85): „Κόνων Τιμόθεος Κόνωνος”; deinde apud Pausaniam I. 24. 3 in descriptione arcis occurrit: „ἐνταῦθα καὶ Τιμόθεος ὁ Κόνωνος καὶ αὐτὸς κεῖται Κόνων”, ⁴⁾ denique I. G. I 309: „Τιμόθεος Ἀναφλύστιος γραμματεὺς”, qui idem esse videtur. De quo Timotheo, Cononis pater, pauca igitur ad nos pervenerunt. Originem ergo Conon ⁵⁾ traxit e pago „Ἀναφλύστος”, qui pagus in parte Atticae situs est, quae ad meridiem vergit, pertinetque ad phylam Ἀντιοχίδα. ⁶⁾

¹⁾ Diod. XI, 74. Arist. ΑΞπ. 25. ²⁾ cf. v. Wilamowitz, Arist. und Athen II 93. ³⁾ cf. pag. 23. ⁴⁾ cf. Paus. III. 9. 2: „(οἱ Ἀγηματοι) πυνθανόμενοι ὡς Κόνων ὁ Τιμόθεος παρὰ βασιλέα ἀναβεβηκὼς εἴη” et Paus. VIII. 52. 4, quo loco recurrit Κόνων ὁ Τιμόθεος. ⁵⁾ cf. Kirchner, Prosop. att. 8707 et 13699. ⁶⁾ cf. v. Wilamowitz, Arist. und Athen I. 62: „Ueber das geschlecht jener anaphlystischen familie ist wol nichts bekannt.” Max Schmidt in dissertatione, quam de Conone scripsit [Leipzig 1873], p. 16, Cononem ortum esse prohibet e genere Eumolpidarum, quod Eleusiniae Cereris sacerdotium possidebat, cf. Tacit. Hist. IV. 83, Plut. de Iside, 28. Schmidt, postquam Timotheum Cononis filium Eleusine columnam posuisse admonuit, in Isocratis, familiaris sui, honorem, ita pergit: „Wie hätte Jener dies Zugeständ-

Quo anno Conon natus est?

Primum ejus στρατηγία memoratur a Thucydide (VII, 31). Hieme anni 414/13 Athenienses classem¹⁾ fere viginti navium, cui Conon praefuit,²⁾ Naupactum miserunt. Igitur στρατηγός creatus est mense Anthesterione i. e. Februario-Martio anni 414.³⁾

Eo tempore ad aetatem triginta annorum,⁴⁾ lege constitutam, pervenerit oportet. Idcirco eum anno 444 vel brevi ante natum esse verisimile est.

Quam suspicionem Justinus⁵⁾ quodammodo confirmare videtur, qui fere ejusdem aetatis Agesilaum et Cononem fuisse tradidit. Agesilaum vero hieme anni 360/59 mortuum esse constat, 84 abnos natum.⁶⁾ Itaque a°. 444 natus est.⁷⁾ Praeterea, cum verisimillimum sit, Cononem, Atheniensem

„niss von den Eumolpiden erlangen können, wenn er nicht selbst „der Familie entsprossen?“, deinde sic scribit: „Erhärtet wird diese „Ansicht, dass Konon einer Priesterfamilie angehörte, auch dadurch, „dass er in seinem Testamente eine ausserordentlich grosse Summe „für Tempelgeschenke bestimmte.“

Quae argumenta mihi incertissima esse videntur. Timotheum illum, cuius memoria apud Tacitum exstat [Hist. IV. 83], Eumolpidam fuisse constat, sed multis annis post, scilicet Ptolemaeo I° regnante [i. e. 323—285] vixisse invenitur, cf. Böckh, Att. Seewesen p. 251 sub voce Τιμόθεος. Jacere mihi videtur tota conclusio, quam Schmidt e columna illa collegit, Eleusine a Timotheo posita. Denique, quod admonet, Cononem testamento suo tantum pecuniae templis assignasse, nonne viri pii est gratique erga deos? De hac re quoque conferantur Rehdantz, Vitae Iphicratis etc. p. 45, § 2, et Töpfer, Attische Genealogie p. 97. ann.

¹⁾ Thucyd. VII, 17. ²⁾ Thuc. VII, 31. ³⁾ Ex Aristot. ΑΘπ. 44.4 apparel ἀρχαιρεστῶν στρατηγῶν fieri solere septima πρωτανεῖα (ποιῶσι δοι μετὰ τὴν σ' πρωτανεύοντες) i.e. mense Anthesterione; cf. ΑΘπ. 43. 2, ubi haec leguntur: „αἱ μὲν πρῶται τέτταρες (sc. πρωτανεῖαι) „ἔξ καὶ λ' ἡμέρας ἐκάστη, αἱ δὲ σ' αἱ ὕστεραι πέντε καὶ λ' ἡμέρας „ἐκάστη“. ⁴⁾ cf. Arist. ΑΘπ. 4,3 ; 30,2 ; 31,1. ⁵⁾ Just. VI, 2: „quippe aetas, virtus, consilium, sapientia utriusque prope una“. ⁶⁾ Xen. Ages. II. 31. Plut. Ages. 40. Cf. Ed. Meyer, Forschungen II. 509. Beloch, Gr. Gesch. II. 297. ⁷⁾ nisi eum ipsis mensibus Januario vel Februario natum esse existimemus. Tum anno 443 natus est.

nobilem, virum popularem, in urbe ubi populus regnaret, statim *στρατηγὸν* creatum esse,¹⁾ ubi primum ad trigesimum aetatis annum pervenisset, Cononem a°. 444 natum esse satis constat.

De Cononis adolescentia omnia obscura sunt. Qua narratione res anno 413 gestas amplectitur, primam ejus mentionem facit Thucydides.²⁾

Quousque eo anno bellum processerat?

Annus prior expeditionis Siciliensis praeterierat, qui tamen Atheniensibus gloriam tam vehementer affectatam non attulerat. Corinthorum Lacedaemoniorumque civitates, ab Syracusanis auxilium rogatae, non recusaverant, haec ab Alcibiade impulsa eademque ira incensa ob pacem ab Atheniensibus ipsis violatam, qui summa pace, aestate scilicet anni 414, irruptionem in Laconicam facere non veriti erant.

Itaque a°. 414 bello peloponnesiaco iterum exorto Sparta manum parvam quidem, sed quae praestanti duce Gylippo gauderet, in Siciliam misit, cui ut iam autumno anni 414 intra urbem Syracusas irrumperet, contigit. Athenae quoque iterum magnas copias Demosthene duce vere anni 413 in Siciliam miserunt. Neque Corinthii defuerunt. Ut autem impedirent, quominus naves eorum e corinthio sinu egredierentur, Athenienses hieme anni 414/13 viginti navium³⁾ classem Naupactum⁴⁾ appellere jussérunt. Cui classi⁵⁾

¹⁾ Insuper quotannis decem *στρατηγοὺς* creari solere reputandum est. ²⁾ Thuc. VII. 31. ^{3]} Thuc. VII. 17. 2. ⁴⁾ Ad eas custodias maritimæ Atheniensium, quae etiam mercaturae impedimento fuerint necesse est, sine dubio plebiscitum pertinet, quod memoratur apud D S⁶ 46. Vir doctissimus Wilhelm [in Herme XXIV, 110. n. II] ad annum 413 id pertinere censem, Kirchhoff [C. I. A. IV. 1. 3. p. 165, n. 53^b] etiam ad annum 419 [cf. Thuc. V. 52. 2] pertinere posse arbitratur. Attamen Thucydides eo loco de custodiis maritimis non agit. Praeterea Alcibiadē, qui tantummodo in terra res gerebat, prohibuisse quominus Lycon navem e portu eveheret, non probabile mihi esse videtur. Anno 413 autem perfacile intellectu est, Lyconis navem onerariam Atheniensium custodiis deprehensam e sinu corinthio [ex Achaja] proficiisci non potuisse. Tituli pars, quae ad hanc rem

Conon noster praefuit.¹⁾ Corinthii ipsi classem 25 navium instruxerunt, qua pugnam cum Atheniensium classe ad Naupactum committerent et Atheniensium animos a suis ipsorum navibus onerariis avocarent.²⁾ Corinthiis hoc modo successum est, ut pedites quingentos cum ducentis Sicyoniis incolumes in Siciliam transportarent.

Itaque Conon Naupacti versatur hieme anni 414/13.³⁾ Interea Demosthenes, magna cum classe e Piraeo⁴⁾ profectus, Chariclem in ora laconica populanda adiuvat, deinde Corcyram, Zacynthum, Cephalleniam, Acarnaniam, ubique apparatus suum explens, cursum dirigit, denique in Acarnania cum Eurymedonte, e Sicilia reverso, congreditur. Tum Conon et ipse in Acarnaniam contendit, ubi Demostheni Eurymedontique⁵⁾ viginti quinque naves corinthias, quae ad Naupactum sibi oppositae sint, impetum in classem suam parare nuntiat. Duodeviginti⁶⁾ navibus suis iis par esse non visus, collegas subsidium rogat, impetratque. Brevi postquam Cononi decem e navibus optime navigantibus dederunt, Demosthenes et Eurymedon in Italiam transvehuntur.⁷⁾ Deinde Conon Naupactum reddit, ubi jam classi 28 navium praeest.

Deinceps Thucydides (VII. 34) pugnam navalem ad Naupactum inter classes peloponnesiacam atque atheniensem

pertinet, haec est: „τὴν δὲ ναῦν, ἣν δέται ἐκκομισασθαι ἐξ Ἀχαίας, ἐκκομισάτω. καὶ ἔξεναι αὐτῷ πλέν καὶ χρήματα ἐσάγεν ὅσης Ἀθηναῖοι κρατῶσι καὶ ἐς τὰ Ἀθηναῖων Φρέρια. ἐς δὲ τὸν κόλπον μὴ ἔξεναι ἐσπλέν, αὐτῷ τὸν”⁵⁾ Viginti triremes quas memorat Thuc. VII. 17. 2, eadem sunt atque ἡ ἐν τῇ Ναυπάκτῳ Φυλακῇ in Thuc. VII. 17. 4; cf. Ed. Meyer IV. § 668. ann.

¹⁾ Thuc. VII. 31. ²⁾ Thuc. VII. 17. 4 et 19. 4, 5. ³⁾ cf. Gilbert, Beiträge 278—279. ⁴⁾ Thuc. VII. 26. ⁵⁾ Thuc. VII. 31. ⁶⁾ cf. Thuc. VII. 17. 2, quo loco Thuc. viginti naves fuisse tradit. Ceteraene duae naves fortasse Messenios illos gravis armaturae Naupacto in Acarnaniam deportaverunt [cf. Thuc. VII. 31]? An alicubi in litore Peloponnesi custodiae causa relictae erant? cf. „ὅτως Φυλάσσοιεν μηδένα ἀπὸ Κορινθίου καὶ τῆς Πελοποννήσου ἐς τὴν Σικελίαν περαιοῦσθαι.” ⁷⁾ Thuc. VII. 33.

commissam memorat, ibique aequo Marte pugnatum scribit. Utrique tropaeum erigunt. Paragrapho tertia haec sunt Thucydidis verba: „οἱ δὲ Ἀθηναῖοι ἐκ τῆς Ναυπάκτου τριάκοντα „ναυσὶ καὶ τρισὶν (ἢ χρεῖ δὲ αὐτῶν Διφίλος) ἐπέπλευσαν αὐτοῖς”, quibus vocabulis Cononem non jam στρατηγὸν fuisse appareat sed Diphilum quendam.¹⁾ Qua re novum annum²⁾ interea inchoavisse, pugnamque illam ad Naupactum post mensis Hecatombaei Kalendas factam manifestum est. Cononi ideo Diphilus successit, quem ob eam rem cum quinque navibus Athenis Naupactum navigasse verisimile est,³⁾ quarum adventu classis ad triginta trium navium numerum aucta est.

De prima ea Cononis strategia pauca igitur innotuerunt. Tantummodo Cononem ducem minime temerarium fuisse dicendum est. Providissime enim cavebat ne hostium classem aggredieretur, priusquam ei navium numero par esse sibi videretur. Feliciter Cononi evenit, quod pugna maritima apud Naupactum ab Atheniensibus minus bene gesta in ejus rationes non inferenda est. Hic nobis sponte in mentem venit, Phormionem aº. 429 his ipsis locis viginti navibus classem corinthiam quadraginta septem navium aggredi ausum esse,⁴⁾ illa imperii maritimi conscientia superba fretum, quae Cononem omnino dereliquisse videtur. At, idne Cononi vitio vertendum est? Immo vero reputandum esse censeo, optimam quamque partem copiarum navalium Atheniensium tunc in Sicilia ipsa versari vel eo navigare, eaque quae restarent ad sinum corinthium custodiendum sufficere visa esse, denique Peloponnesiacos inde ex eo anno 429 rebus maritimis multo maiorem operam dedisse quam antea. Quibus rebus ad Naupactum gestis

¹⁾ cf. Beloch, Attische Politik, 309. Gilbert, Beiträge 281. ²⁾ Beloch, Att. Pol. 272. ³⁾ Diversa est opinio Eduardi Meyer IV § 671, qui scribit: „Konon erbat sich von Demosthenes, als dieser nach Akar„naniën gelangt war, eine Verstärkung von 10 Schiffen unter Diphilos, der dann das Commando übernahm”. Praeterea Meyer [§ 672 initio] Eurymedontem tum demum in Acarnaniam ad Demosthenem abisse putans, a Thucydidis narratione discrepat, cf. Busolt, Gr. Gesch. III. 1365. ⁴⁾ Thuc. II. 83.

nihil amplius de Conone comperimus ante annum 410.

Interea Athenienses, nuntio tristissimo accepto classes splendidissimas, copias egregias, duces peritissimos in Sicilia periisse, nequaquam animo demisso, miro vigore ex calamitate ea se collegerant. Mille talentis consumptis, a Pericle iam ad extremum casum sepositis, iterum classem satis magnam sibi comparaverant. Optimatum brevem dominationem urbs viderat et defectionem samiae classis ab ea. Duce Alcibiadem ab exilio revocatum ea classis creaverat. Autumno anni 411 Atheniensium classis ad Cynossema atque ad Abydum rem suam bene egerat, vere anni 410 Alcibiades victoriam clarissimam reportaverat apud Cyzicum.

Eodem anno 410 Conon expeditionem suscipit in Corcyram¹⁾. Iam a° 433 Corcyrae optimates, vi coacti, cum Atheniensibus societatem inierant. Postea tamen, Atheniensibus quam minime opitulati, identidem operam dederant ut cum Spartanis in gratiam redirent. Inde inter Athenienses Lacedaemoniosque perpetua aemulatio utri apud Corcyraeos auctoritate plurimum valerent, inde etiam in insula ipsa inter optimates Spartanorum studiosos atque homines populares, qui Atheniensium rebus favebant, perpetua bella civilia, plerumque cum atrocissimis caedibus coniuncta. Post annum 425, optimatibus maximam partem ad interacionem redactis²⁾, populares, insulae imperium tenentes, Atheniensibus nimirum se adiunixerunt. Sed Atheniensium copiis in Sicilia deletis, optimates, qui in insula adhuc supererant³⁾, res novas moliri cooperunt, auxiliumque a Spartanis petiverunt. Populares contra, hinc rebus suis periclitantes, ad Athenienses confugerunt, qui, antiquum socium sibi iterum adiungendi occasione minime praetermissa, classem Cononis imperio parentem Corcyram miserunt: „Κένων δ' ὁ στρατηγὸς τῶν Ἀθηναίων πλεύσας εἰς Κόρωνα,

¹⁾ Diodorus, XIII, 48. ²⁾ Thucydides IV. 48. 5: „οὐ γὰρ ἔτι ἦν ὑπόλοιπον τῶν ἐτέρων (optimatum) ὃ τι καὶ ἀξιόλογον.” ³⁾ Quibus etiam adnumerandi sunt ii, qui inde ex anno 425 adoleverant.

εξανοσίους μὲν τῶν ἐκ Ναυπάκτου Μεσσηνίων κατέλιπεν ἐν τῇ πόλει, αὐτὸς δὲ μετὰ τῶν νεῶν παρέπλευσε, καὶ καθωρμίσθη πρὸς τῷ τῆς "Ηρας τεμένει."¹⁾

Conon igitur cum navibus ad Corcyram appulsus²⁾ primum portum Hyllaeum intrat, ibique in regione urbis, quae in potestate popularium erat, Messenios suos exponit, deinde lingulam quae portum amplectitur circumvectus, ancoras iacit apud Heraeum i. e. apud ipsam urbis partem, prope Alcinoi portum sitam, quam optimates occupabant^{3).} Sic enim optimates illos coercere voluit. Interea sescenti Messenii popularibus adiuvantibus foro frequenti optimates

¹⁾ Diod. XIII, 48, 6. ²⁾ Kirchner in Prosop. Att. 8707 ad hanc strategiam anni 411/10 pertinere censem locum Lysiae XIX. 12. (Στρατηγῶν γὰρ Κύνων περὶ Πελοπόννησου κτλ.) item Beloch Att. Pol. 311. Frohberger contra in editione Lysiae, quam procuravit, ad locum (Lys. XIX. 12) annotat, ad annum 393 haec verba pertinere (cf. Xen. Hell. IV. 8, 8); item Ed. Meyer V. § 860 ann.; neque Busolt hunc locum laudat, ubi res exponit anno 411/10 gestas. Cum utris faciendum est? Lysiae oratio XIXa habita est aº 387 (Ed. Meyer V § 873 ann., Frohberger, Einl. p. 97). Nicophemus et Aristophanes aº 387 necati sunt (Ed. Meyer V. § 873. ann. et 874), Kirchner autem (n. 11066) si fides est habenda, anno 389. Nicophemus, Cononis amicus, si fere eadem aetate fuit qua Conon, aº 411 fere 33 annos, aº 393 autem fere 51 annos natus fuerit necesse est. Verisimilius igitur est, ei aº 393 filium nuptiis iam maturum fuisse, quam aº 410. Alterum argumentum hoc est: Is, qui in Lysiae oratione XIX. 9 loquitur: „ὑμεῖς, inquit, ... παιδάρια δὲ τρία ἡγαγασμένοι τρέφειν.” Quodsi existimamus locum eum ad annum 411/10 pertinere, si praeterea conjicimus matrimonium, approbatione patris patrata (cf. § 12), statim contractum esse, deinde, ut e matrimonio iusto, mox liberos inde natos esse, tum liberi illi aº 387 (quo pater eorum mortuus est) 22 annos inferiusque nati fuerint necesse est (vel si Kirchner auctore anno 389 Nicophemus Aristophanesque interfecti sunt: 20 annos inferiusque). Homines scilicet 22 vel 20 annorum non jam παιδάρια appellari (§ 9), neque de iis: „οὐδένα οὔτ' ἴδια οὔτε δημοσίᾳ ἡδικηθεῖ” dici posse manifestum est. Si contra locum ad annum 393 pertinere putamus, tunc illi liberi aº 387 quinque annos nati atque inferius (vel aº 389 tres annos inferiusque) fuerunt. Haec re vera παιδάρια sunt. Locum in Lysiae oratione XIX. 12 igitur ad annum 393 pertinere censuerim. Cf. etiam Ed. Meyer V. § 860. ann. ³⁾ cf. quae luculente exposuit B. Schmidt, Korkyraeische Studiën. Leipzig 1890, p. 43 sqq.

imprudentes opprimunt, nonnullos capiunt, alios interficiunt, amplius mille insula expellunt fugantque in continentem. Nonnullis diebus post optimates, qui in urbe remanserant, foro occupato, fugatos e continentem revocant, quibus reversis caedes iteratur¹⁾. Qui motus optimatum explicari non potest, nisi Cononem interea cum classe sua abiisse putemus. Sic enim optimates resumptis viribus amicos suos e continentem revocare potuerunt. Conon igitur non nisi paucissimos dies Corcyrae moratus est.

Diodorus narrationem suam belli civilis corcyraei hoc modo incipit: „Συνέβη δὲ περὶ τοῦτον τὸν χρόνον κτλ.” (48. 1.) Capite 46 de pugna agit ad Abydum commissa, quae pugna facta est mense Novembri anni 411²⁾; capite 47 de Thermene frustra impedire conato, quominus moles inter Euboeam Boeotiamque aedificaretur (mense Octobri 411)³⁾, denique capitibus 49 et 50 de pugna ad Cyzicum facta (mense Martio 410)⁴⁾. Res Corcyrae gestas igitur hiemi assignavit anni 411/10, ei anni parti, quae est inter menses Novembrem 411 et Martium 410, unde Cononem tunc iterum στρατηγὸν fuisse, Naupactique in urbe praefuisse patet. Quam ob rem στρατηγὸν eum creatum esse verisimile est, cum, quadringentis viris mense Septembri 411 remotis, nova electione στρατηγῶν opus esset, qui oligarchis fugatis succederent⁵⁾.

Victoria apud Cyzicum reportata, Atheniensibus restituta est ea δημοκρατία, quae rempublicam uniuscujusque esse jussit nullo discrimine facto. Qui in urbe erant, cum civibus, qui Sami in classe degebant, se reconciliaverunt; rescessum est Alcibiadis exsilium⁶⁾. Deinceps Thrasyllo in

¹⁾ Diod. XIII. 48. 7 et 8. Ad hanc στάσιν etiam delegat nos. Thucydides in libro IV. 48. 5, ubi haec leguntur: „καὶ ἡ στάσις πολλὴ γενομένη ἐτελεύτησεν ἐξ τοῦτο, ὅτα γε κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε.” ²⁾) Ed. Meyer IV, § 710. Busolt III. 2. 1522. ³⁾ Busolt III. 2. 1525. Ed. Meyer IV, § 706 et 707 dicit: „fine mensis Septembris 411.” ⁴⁾ Busolt III. 2. 1527. Ed. Meyer IV § 711. ⁵⁾ Beloch, Att. Pol. 311. Gilbert, Beiträge 335. ⁶⁾ Thuc. VIII. 97. 2.

Ioniam profecto ¹⁾, paulatim tota ora ad Hellespontum sita in Atheniensium dicionem est redacta, praeter Abydum ²⁾. Sic vere anni 408 maior pars classis, cui Thrasyllus praeerat, domum redire potuit ³⁾. Thrasybulus interea, dum domum Thrasyllus tendebat, cum triginta triremibus in Thraciam ⁴⁾, Alcibiades cum viginti Parum et Gytheum navigabat ⁵⁾. Qui cum in cursu ipso se ipsum, Thrasybulum familiarem, Cononemque, antequam Thrasyllus Athenas advenisset ⁶⁾, στρατηγοὺς a populo athenensi creatos esse accepisset, cursu converso, festo die Plynteriorum ⁷⁾ Piraeum portum intravit. Quorum trium στρατηγῶν electionem paulo ante i. e. initio mensis Junii a^t 408 factam esse verisimile est. Quia autem ordinaria στρατηγῶν electio mense Anthesterione (cf. pag. 25) fieri solebat, haec extraordinaria profecto fuit. Itidem paucis annis ante ad expeditionem siciliensem faciendam novimus Alcibiadē, Niciam, Lamachum στρατηγοὺς creatos esse extraordinariis mandatis, praeter ceteros στρατηγοὺς e.g. Antimachum Hermensem ⁸⁾. Praeterea hac eadem aestate, Alcibiadis rogatu, Aristocrates et Adimantus κατὰ γῆν στρατηγοὶ ⁹⁾, probabiliter ex ducibus iam creatis, adscripti sunt ¹⁰⁾.

Igitur mense Febr./Mart. ordinariam στρατηγῶν electionem, Junio autem extraordinariam ¹¹⁾, qua tres summae

¹⁾ Xen. Hell. I. 2. 1. ²⁾ Diod. XIII. 68. 1. ³⁾ Xen. Hell. I. 4. 10.

⁴⁾ Hell. I. 4. 9. ⁵⁾ Hell. I. 4. 11. ⁶⁾ Hell. I. 4. 10:

„πρὶν δὲ ἥκειν αὐτὸν (i.e. Θρασύλου), οἱ Ἀθηναῖοι στρατηγοὺς εἶλοντο Ἀλκιβιάδην μὲν Φεύγοντα καὶ Θρασύβουλον ἀπόντα, Κόνωνα δὲ τρίτον ἐκ τῶν οἰκοθεν”. Quo loco verbum Φεύγοντα justo neglegentius usurpatum est, cum Alcibiades iam brevi ante pugnam ad Cyzicum factam ab exilio revocatus esset, cf. Ed. Meyer IV. § 707. ann. ἀπόντα sc. in Thracia (Hell. I. 4. 9). ⁷⁾ i.e. die 25^ο Thargelionis (a.d. XVI. kal. Jul.) Xen. Hell. I. 4. 12. Plut. Alc. 34; Θαργυλιῶνος ἔκτη φεύγοντος.”

⁸⁾ cf. DS^a 37, 35 sqq. ⁹⁾ Xen. Hell. I. 4. 21; cf. Diod. XIII. 69 et Nepos, Alc. 7, quorum uterque errorem Ephori, Thrasybulum pro Aristocrate scribentis, propagaverunt. Plut. Alc. 35: „συνάρχοντας οὓς ἑκεῖνος ἡθελεῖσεν,” nomina omittit. ¹⁰⁾ cf. Ed. Meyer IV. § 718. ann.

¹¹⁾ Gilbert, Beiträge 357, ordinariam electionem fuisse censet; item Beloch, Att. Pol. 312.

auctoritatis *στρατηγοὶ* crearentur, factam esse coniecerim¹⁾. Quorum e numero Conon ipse erat, quem eo tempore Athenis fuisse e Xenophontis verbis: „Κόνων δὲ τρίτον ἐκ τῶν οἰκοθεν”²⁾ (Hell. I. 4. 10) constat. Quae electio praecipuo honore Cononem nostrum sustulit. Praeterea non modo Athenienses iam a° 408 magnam spem de eo habuisse, sed etiam factionem popularem, quacum staret, iterum multum valuisse inde intellegi potest.

Alcibiades per aliquot menses Athenis versatus, mille quingentis peditibus graviter armatis, centum quinquaginta equitibus, centum navibus collectis, autumno, mense Octobri ut videtur³⁾, in Ioniam navigaturus, primum Andrum⁴⁾ insulam petit.

Vere anni 411ⁱ Andri in insula optimates ad gubernacula rei publicae accesserant, Pisandro⁵⁾ auctore, qui Athenas iter faciens ubique in insulis populares loco moverat. Quo facto Andrus ab Atheniensibus defecerat⁶⁾.

Alcibiades ad insulam appulsus cives profligat, intra urbem fugat, tropaeum erigit. Sed ad obsidionem diuturnam

¹⁾ Postea, hoc ipso anno, Alcibiades solus creatus est summus dux: Xen. Hell. I. 4. 20: „ἀναρρήσεις ἀπόντων ἡγεμῶν αὐτοκράτωρ.”

²⁾ Interpretatio Breitenbachii ad Xen. Hell. I. 4. 10: „Κόνων δὲ τρίτον” i. e. „als dritter der drei bedeutendsten unter den für das Jahr 408/7 gewählten 10 Strategen” satis obscura est. ³⁾ In Xenophontis Hellenicis I. 4. 21 haec leguntur: „μετὰ τὸν κατάπλουν τρίτῳ μηνὶ ἀνήχθη ἐπ’ Ἀνδρού”, quae verba recte sese habere non possunt, nam Plynteriorum festo die i.e. 25° Tharg. Alcibiades Piraeum portum intravit. Pompa Eleusinia, quae 20° Boedromionis, i. e. initio mensis Octobris, fieri solebat, eo auctore rursus terra duci potuit (Hell. I. 4. 20; Plut. Alc. 34). Inter festum Plynteriorum igitur et pompam eleusiniam iam quattuor fere menses intersunt. Cobet τετάρτῳ, Breitenbach πέμπτῳ, Busolt ἕκτῳ proposuit. Quoquo modo res se habet, expeditionem contra Andrum susceptam non antea factam esse quam mense Octobri (mensis parte, ut videtur, ulteriore i.e. mense Pyanepsione) statuendum est. Ergo Xenophon errasse videtur, qui scripserit τρίτῳ cum deberet πέμπτῳ (Tharg.-Sciroph.-Hecat-Metag.-Boedr.-Pyan.) Cf. Breitenbach ad Xen. Hell. I. 4. 21; Busolt III. 1566. ann. ⁴⁾ Xen. Hell. I. 4. 21. Diod. XIII. 69. 4. ⁵⁾ Thuc. VIII. 65. 1 et 69. 2. ⁶⁾ Xen. Hell. I. 4. 21.

suscipiendam spatum ei non dabatur, quam ob rem iter facere pergit in Ioniam¹⁾, Conone, qui obsidionem perseveretur, viginti cum navibus²⁾ Andri in insula relicto. Xenophon alio loco³⁾ auctor est, nullos στρατηγούς Alcibiadem Andrum prosecutos esse nisi Aristocratem et Adimantum, Cononis mentione omissa; de Alcibiade autem scribit⁴⁾ „τρόπαιόν τε ἔστησε καὶ μείνας αὐτοῦ δλίγας ἡμέρας ἐπλευσεν εἰς Σάμον.” Unde concludendum est: 1º ab Alcibiade Cononem Athenis arcessitum esse, 2º Alcibiadēm, quoad Conon Andrum advenisset, ibi substitisse, deinde Samum iter continuasse.

Conon igitur mensis Octobris parte extrema vel initio mensis Novembris Andrum advenisse videtur, ubi usque ad vernum tempus anni 407 permansit, quo proficisci in Ioniam ibique imperium ab Alcibiade recipere iussus est.

Interea Alcibiades, quem fortuna bellica deseruerat, favoris popularis expers esse coepit. Nam Atheniensium omnem spem, in eo solo positam, plane fefellerat. Andrum enim insulam non ceperat, Lysandrum⁵⁾ e portu Ephesi elicere et proelio cum eo decertare non potuerat, milites navales eius, quos Lysander maiore stipendio proposito ad se pelliciebat, dilabebantur; ad quae mala etiam hoc accesserat, quod Antiochus legatus, qui ipso absente praeerat, cladem ad Notium urbem (vere anni 407) acceperat. Itaque mox criminationes calumniaeque undique conflatae, dein vetus suspicio, cui vita eius semper obnoxia erat, eum perdiderunt.

¹⁾ Xen. Hell. I. 4. 22; Diod. XIII. 69. 5; Plut. Alc. 35. Diodorus (Ephorus) narrando Thrasybulum ab Alcibiade Andri relictum esse in errore suo cap. 69. 3 (cf. pag. 32 ann. 9) incepto perseverat. At Thrasybulus in Thracia Thasique versabatur (Hell. I. 4. 9 et 5. 11). Postea (Diod. XIII, 72. 1, cf. 3) Thrasybulum Andro Thasum Abderraque navigasse tradit, eamque expeditionem, quam Xenophon (Hell. I. 4. 9) veri anni 408 attribuit (cf. I. 4. 3: „ἀρχομένου τοῦ ἔτος”), autumno factam esse dicit. Diodorus hoc loco igitur iterum errans Andri στρατηγὸν quendam relictum esse non ignorat, sed quis fuerit nescit. ²⁾ Xen. Hell. I. 5. 18. ³⁾ Hell. I. 4. 21. ⁴⁾ Hell. I. 4. 28. ⁵⁾ Lysander aestate praecipiti anni 408 nauarchus factus, in Ioniam transvectus, cum classe sua Ephesi remanserat, cf. Xen. Hell. I. 5. 1.

Alcibiadi postquam imperium abrogatum est¹⁾, decem alii στρατηγοι suffecti sunt²⁾, sc. Conon, Diomedon, Leon, Pericles, Erasinides, Aristocrates, Archestratus, Protomachus, Thrasylus, Aristogenes³⁾.

Athenienses ab nimia potestate abhorrentes, quam unduci nuper concesserant, iam decem στρατηγούς pari potestate creant. Ad tempus Alcibiadis imperium Cononi traditur⁴⁾.

¹⁾ Xen. Hell. I. 5. 16 non disertis verbis scribit Alcibiadi imperium abrogatum esse, non magis quam Diod. XIII. 74 et Plut. Alc. 36. Sed Nepos Alc. 7 et Plut. Lys. 5 sic factum affirmant, cf. Lys. XXI. 7. Deinde Justinus V. 5: „et tanta desperatio apud Athenienses erat, ut ex continenti Alcibiaden ducem Conone mutarent” sine dubio deiectionem e magistratu designat (cf. Orosius II. 16, 10–11). Justini auctoritas minima est, sed quia Xenophon, auctor fidissimus, hoc loco non diserte loquitur, huius narrationem nuntiis Diodori, Plutarchi, Lysiae et, si res cogit, etiam Nepotis Justinique nobis supplere et emendare licet, siquidem ad perspicuitatem Xenophontis aliquid addere possunt. Praeterea Diodori verba XIII. 74. 4: „αὐτὸς οὖν αὐτοῦ κατέγνω Φυγὴν” demonstrare videntur Alcibiadem nondum elapso tempore, in quod creatus erat, ab imperio abisse falsam igitur esse opinionem nostrorum hominum, qui censem magistratus sui annum eum confecisse, deinde non iterum creatum esse; cf. Lysias XIV. 38. Praeterea cf. Gilbert, Beiträge 365, Ed. Meyer IV § 723. Busolt III. 1578. ann. 2. ²⁾ Haec στρατηγῶν electio ordinaria est, quae mense Martio fieri solebat, sed decem στρατηγούς omnes pari potestate esse novum fuit, cf. Ed. Meyer IV § 723. ann.; Busolt III. 1580. ann. 3; Gilbert, Beiträge 364. ³⁾ Diodorus XIII. 74. 1 Lysiam ducem fuisse scribit pro Leonte, sine dubio quia Lysias (non Leon) in pugna apud Arginusas occurrit et in lite quae ducibus intenta est (Xen. Hell. I. 6. 29 et 7. 2), cf. Ed. Meyer IV. § 727. ann. p. 644: „An Leons Stelle erscheint fortan Lysias. Wie das zu erklären ist, wissen wir nicht.” Praeterea Diodorus „Thrasybulum” introduxit pro „Thrasylo”, quem scribendi errorem Diodoro in promptu fuisse confitendum est. (Ephorus, ex quo Diodorus sine dubio hausit, Thrasybuli studiosissimus fuisse videtur, cf. pag. 32 ann. 9 et 34 ann. 1). Apud Xenophontem (Hell. I. 5. 16) Θρασύλος est, et Lysias XXI. 7 sic scribit: „τοὺς δὲ μετὰ Θρασύλου δέκα εἷλεσθε.” ⁴⁾ Xen. Hell. I. 5. 18 (ψυχισμένων Ἀθηναίων); Diod. XIII. 74. 1: „ἐκ δὲ τούτων προκρίνας (sc. ὁ δῆμος) Κόνωνα ταχέως ἐξέπεμψε παρ’ Ἀλκιβιάδου τὸ ναυτικὸν παραλγόμενον.” Ex Xen. I. 4. 22. et I. 5. 18 Gilbert (Beiträge 360) effecit Alcibiadem Cononem secum Andrum duxisse Iniuria, opinor.

Quod ut suscipiat, Conon viginti cum triremibus suis Andro Samum navigat. Andrum Cononis loco Phanosthenes mittitur quattuor cum navibus¹⁾.

Festinatio, qua Conon Andro profectus est²⁾, docet Athenienses Alcibiadi ne die quidem diutius summam imperii permisisse. Ad hoc, postquam tam turpiter magistratu deiectus erat, oboedienter successorem exspectare, ei imperium tradere, denique modeste ac demisse abire, minime Alcibiadis erat³⁾. Praeterea magnum periculum fuit, ne classis Ionica aliquamdiu summo imperio careret, quod ipsum, ut facile intellegimus, Athenienses incitavit, ut continuo mitterent, qui Alcibiadi succederet. Conon igitur statim imperio Alcibiadi abrogato, antequam decem *στρατηγοί* creaturentur (quod factum esse novimus mense Martio anni 407), Samum missus est.

¹⁾ Xen. Hell. I. 5. 18. ²⁾ Diod. XIII. 74. 1: „Κόνωνα ταχέως ἐξέπεμψε.” Just. V. 5: „ut ex continenti Alcibiaden ducem Conone mutarent.” ³⁾ Diodori (XIII. 74. 2: ‘Αλκιβιάδης δὲ τῆς ἀρχῆς ἐκχωρήσας τῷ Κόνωνι καὶ τὰς δυνάμεις παραδούσ”) haec, ut videtur, sententia fuit, Alcibiadem usque ad Cononis adventum in classe remansisse. Multo probabiliora sunt quae Xenophon scribit (Hell. I. 5. 17—18, cf. Plut. Alc. 36. 4): Alcibiadem, qui etiam in classe gratiam auctoritatemque suam amisisset, statim vela dedisse ad praedia, quae in Chersoneso obtinebat, et postea demum Cononem Andro profectum esse; cf. Gilbert, Beiträge 365.

C A P U T III.

Cononi, Samum ad insulam appulso, classis centum triginta quattuor navium praesto fuit.¹⁾ Milites clade

¹⁾ Busolt III, 1577, ann. 1: 115 naves fuisse scribit, sc. $65 + 30$ (Thrasybuli) + 20 = 115, cf. Herbst, Schlacht bei den Arginusen 18, ann. 27. Busolt igitur arbitratur Alcibiadi ante pugnam ad Notium factam 80 naves ($65 + 15$) fuisse, illasque viginti naves, quas Conon Andri habebat, quibuscum Samum navigavit (Hell. I, 5, 18), ab Alcibiade de sua ipsius classe, quae 100 navium fuerat, detractas Cononique traditas esse. At quidni Cononem, cum Athenis Andrum navigaret, classiculam secum duxisse existimemus viginti navium (quae eadem fortasse fuerunt interea refectae, quibuscum Alcibiades mense Junio Samo domum venerat: Xen. I. 4. 11), sicut postea Phanosthenes, qui vicarius magistratui eius successit, cum quattuor navibus Andrum profectus est: „ἀντὶ δὲ Κόνωνος εἰς Ἀνδρὸν ἔπειρψαν (οἱ Ἀθηναῖοι) Φανοσθένην τέτταρας ναῦς ἔχοντα” (Hell. I, 5, 8.) Cf. Ed. Meyer, IV § 722 pag. 632: „Konon, der 20 Schiffe mitbrachte”. Quod si verum est, Alcibiades cum centum navibus Samum pervenisse putandus est (Hell. I, 4, 21). Lysandro septuaginta naves fuisse accipimus Hell. I, 5, 1; mox Ephesi nonaginta (Hell. I, 5, 10). Tum Alcibiades Phocaeam abit, ut Thrasybulum adiuvet (Hell. I, 5, 11), qui cum triginta navibus in Thraciam profectus erat. Apud Notium Athenienses quindecim naves amiserunt (I, 5, 14, cf. Plut. Lys. V, 1); Alcibiadi igitur restant $100 - 15 = 85$ naves. Eas 15 naves Lysander classi suae adiecisse non videtur, nam, cum Callicratidas in eius locum suffectus est, classis laconica etiamtum 90 navium erat (Hell. I, 6, 3). Post pugnam autem Alcibiades ταῖς ναυσὶ ἀπάσαις ante portum Ephesi se constituit; Lysander exire non audet διὰ τὸ πολλαῖς ναυσὶ ἐλαττούσθαι (I, 5, 15). Haec qui fieri potuerint non apparent, nisi Alcibiadem classem Thrasybuli Phocaea secum duxisse statuimus

atque egestate fracti erant¹⁾, nam nulla re magis laborabant Athenienses, quam pecuniae inopia perpetua. Contra Lysander Cyri opes largissimas in promptu habebat, quare factum est, ut militibus nautisque abundaret²⁾. Haec inopia iam statim Cononem coegit, ut classem suam ad septuaginta navium numerum deminueret³⁾. Non alia ei fuit causa expeditionis suscipienda, qua singulis civitatibus pecuniam imperando piratae, ut scribit Xenophon, magis quam duci honesto similis esse videbatur, neglectis iis, quae ad bellum conficiendum utilia erant⁴⁾.

Haud immerito igitur Callicratidas adversarius μοιχὸν τῆς Θαλάττης eum dixit⁵⁾. Xenophon tradidit, Cononem eam expeditionem suscepisse μετὰ τῶν ἀλλων στρατηγῶν⁶⁾; quibus verbis Leontem, Erasinidem⁷⁾, Archestratum⁸⁾, Diomedontem⁹⁾ designasse videtur. Nescio an Aristocrates quoque rei interfuerit. Is iam una cum Alcibiade Andrum in insulam profectus erat¹⁰⁾, postea autem nulla eius mentio fit. Haec omnia facta sunt autumno et hieme anni 407¹¹⁾.

Interea Lysander, cum exspectare dum Atheniensium classis in diem dilaberetur quam acie constituta belli fortunam experiri mallet, in portu otiosus manebat. Conon enim navium numero valde imminuto, optimisque e militibus nautisque retentis, lectissimae manui praeeerat¹²⁾.

Hoc unum contigit Lysandro, ut Delphinium, oppidum

(quod iam significatur his verbis: „ταῖς ναυσὶν ἀπάσχεις). Sic Alcibiadi centum quindecim naves paratae sunt, Lysandro nonaginta. Inde Alcibiades una cum nave in Chersonesum proficiscitur [I, 5, 17], restant igitur 114. Mox additis viginti navibus Cononis, fiunt 134, quae 90 navibus Lysandri opponuntur. Hunc numerum 134 [quamquam Conon pecuniae inopia ad tempus prohibetur, quominus amplius 70 instruat] Callicratidas superare conatus 140 naves adornat. [Xen. Hell. I, 6, 1; Diod. XIII, 76, 3].

¹⁾ Xen. Hell. I, 5, 20. ²⁾ Plut. Lys. IV, 5. ³⁾ Cf. Diodorus XIII, 77, 1, qui hoc loco cum Xenophonte [Hell. I, 5, 20] congruit. Ea quae falso tradidit cap. 76, 1, prorsus a Xenophontis narratione discrepant, neque iis, quae ipse cap. 77, 1 narrat, continuantur.
⁴⁾ Xen. Hell. I, 5, 20. ⁵⁾ Hell. I, 6, 15. ⁶⁾ Hell. I, 5, 20. ⁷⁾ Hell. I, 6, 16. ⁸⁾ Lysias XXI, 8. ⁹⁾ Hell. I, 6, 22. ¹⁰⁾ Hell. I, 4, 21.
¹¹⁾ Hell. I, 5, 21. ¹²⁾ Hell. I, 6, 16.

insulae Chii, Teumque urbem prope Clazomenas sitam Atheniensibus eriperet¹⁾. Publicis autem rebus eo intentius se immiscuit. Ubique enim operam dedit ut ἔταιραι illae notissimae constituerentur²⁾.

Callicratidas, nauarchus laconicus recens creatus, vere anni 406³⁾ in Ioniam profectus, a Lysandro et a permultis, qui partibus eius favebant, satis frigide, immo paene hostiliter exceptus est. Ipsius Lysandri invidia eo processit ut, quidquid supererat eius pecuniae, quam Cyrus suppeditaverat, ad hunc remittendum curaret⁴⁾.

Callicratidas autem classem laconicam, quinquaginta navibus sociorum Chiorum, Rhodiorum⁵⁾, aliorum adiectis, ad 140 navium numerum auxit, ὡς ἀπαντησόμενος τοῖς πολεμίοις⁶⁾. Mox bellum redintegrare coepit, idque longe alia ratione ac fecerat Lysander. Hic enim bellum pro rei publicae parte habere solitus civilibus rebus arma postponebat. Quam ob rem tunc otiosus remanserat, quod id eo tempore reipublicae maxime prodesse videbatur, quieteque exspectabat, dum classis Atheniensium ipsa diffueret, ut, cum primum

¹⁾ Xenophon [Hell. I, 5, 15]: „Λακεδαιμόνιοι δὲ διάγω ὑστερον αἱροῦσι Δελφίνιον καὶ Ἡένα“ scribit, quod veri anni 407 assignat, duci igitur Lysandro. Diodorus [XIII, 76, 3—4] Delphini Teique mentionem facit. [Hoc verum esse videtur, non id, quod Xenophon narrat, de Eione ad Strymonem in Thracia sita]. Sed Diodorus eam occupationem anno 406 Callicratida duce factam esse asseverat, quod non male quadrat in Callicratidam tum primum prodeuntem. Hoc vero gravissimum est, quod Xenophon id factum per se solum tradit, cum aliis non cohaerens, nullius rei nisi temporis habita ratione. Quam ob rem Xenophon dignior est cui credamus. Accedit, quod Xenophontis auctoritas multo maior est temporumque ratio apud Diodorum conturbata esse solet. Cf. Ed. Meyer IV § 724 ann. p. 638; Busolt III, 1583, ann. 1.

²⁾ Diod. XIII, 70, 4; Plut. Lys. V, 4 et XIII, 5. ³⁾ Xen. I, 6, 1: „Τῷ δέπιστι ἔτει, ὃ οὐ τε σελήνη ἐξελίπεν ἔσπέρας [= 15° mensis Aprilis 406]. ⁴⁾ Xen. Hell. I, 6, 10; Plut. Lys. VI, 1. ⁵⁾ Hoc ipso tempore Rhodus opibus valere coepit, quarum initium fuerat συγοικισμὸς ille notissimus [Diod. XIII, 75] anni 408/7; cf. Van Gelder, Geschichte der alten Rhodier, pag. 83. ⁶⁾ Xen. Hell. I, 6, 3, cf. Diod. XIII, 76, 3.

exploratam victoriam vidisset, tum demum funditus eos deleret. Contra Callicratidas, qui vix animum eo adducere poterat, ut a Persis¹⁾ pecuniam precibus efflagitaret, ut erat Spartiates simplex atque integer peregrinorumque consuetudine nondum corruptus²⁾, bellum fortiter strenueque gerere malebat. Continuo opus aggreditur. Navibus centum quadraginta aedificatis confestim classem hostium petit³⁾. Cum Cyrus ei Sardibus moram iusto longiorem fecisset⁴⁾, offensus abiit, et ipse pecuniam sibi comparare conatus est.

Postquam Chii, socii opulentissimi, ab Atheniensibus defecerunt⁵⁾, solae Samus Lesbosque insulae iis supererant, ubi classes in statione habere possent. Lesbi nihil nisi Eresus Lacedaemoniorum erat⁶⁾. Samus autem tota in popularium potestate et propterea Atheniensibus constanter erat fidelis. Accedebat quod in ea insula stabat classis Cononis. Verisimile est, Callicratidam Lesbum insulam Atheniensibus eripere voluisse, quo facto Cononem, aequo animo id profecto non laturum, a Samo avocaret, eumque, si modo fortuna annueret, facile profligaret. Navium enim numero longe superior erat, ut qui 70 navibus Cononis suas 140 opponeret.

Medio fere mense Maio anni 406 Callicratidas Lesbum appulsus, Methymnam urbem aggreditur, ubi et praesidium Atheniensium collocatum erat et ii, qui reipublicae praeerant, Atheniensibus favebant⁷⁾. Urbem vi expugnat⁸⁾. Milites praedantur, sed Callicratidas prohibet, ne quis civis sub corona veneat. Atheniensium autem praesidium ut veniret concessit. Misit, qui Cononi nuntiarent, se latrocinio eius finem impositurum esse⁹⁾. Quid Conon interea fecerit, non liquet. Hoc tantum novimus, post captam Methymnam

¹⁾ Xen. I, 6, 7 et 11. ²⁾ Diod. XIII, 76, 2. ³⁾ Xen. Hell. I, 6, 3. ⁴⁾ Hell. I, 6, 7, cf. Plut. Lys. VI. ⁵⁾ Thuc. VIII, 14. ⁶⁾ Thuc. VIII, 100 et 103. ⁷⁾ Hell. I, 6, 13. ⁸⁾ Hell. I, 6, 13. Diodorus [XIII, 76, 5] scribit post perpetuos impetus tandem civium ipsorum prodizione urbem captam esse. ⁹⁾ Hell. I, 6, 15.

cum omni classe (70 navium) eum versatum esse in freto, quod est inter Lesbum insulam et continentem. Biduo quo Methymna capta est, Callicratidas milites suos gravis armaturae terrestri itinere Mytilenam¹⁾ misit, ipse insulam circumvectus est²⁾. Conon serius venerat, quam ut ad Methymnae obsidionem solvendam quidquam conferret, nec longe ab una ex Hecatonnesis quae dicuntur insulis ancoras iecerat.³⁾.

Callicratidas Cononem certiore fecerat: „ὅτι παύσει αὐτὸν μοιχῶντα τὴν Σαλατταν”⁴⁾; non ignorabat igitur, ubi ille cum classe staret. Facile suspicamur Callicratidam iam ad Hecatonnesos Cononem profligare, utique ex ea maris parte eum expellere in animo habuisse. Si enim Conone neglecto Mytilenam statim cursum dirigeret, maximum periculum erat, ne Conon, eo absente continuo Methymnam profectus, urbem eam recuperaret. Quam ob rem multa de nocte Callicratidas Methymna avectus, prope centum insulas prima luce⁵⁾ Cononem, qui et ipse hostes appropinquantes conspexerat⁶⁾, altum iam petere vidit. Tum cursum acceleravit, ut Cononem opinor navibus suis circumveniret⁷⁾.

Cononi tamen contigit, ut tempestive elapsus Mytilenam cursum teneret. Tum persecutio praeceps fieri coepit. Conon, ut cui egregium esset remigium⁸⁾, parvo momento

¹⁾ Scripturam „Μυτιλήνη” suadent omnes fere nummi. In titulis raro, in libris manuscriptis saepius „Μιτυλήνη” legitur. Koldewey, Die antiken Baureste der Insel Lesbos, pag. 3. Berlin, 1890. ²⁾ Diod. XIII, 76, 6. ³⁾ Diod. XIII, 77, 2. ⁴⁾ Hell. I, 6, 15. ⁵⁾ Ibidem. ⁶⁾ Diod. XIII, 77, 2, qui et ipse scribit: „ἄμα δ' ὑμέρᾳ”. ⁷⁾ Hell. I, 6, 15: „ἐδίωκεν ὑποτεμνόμενος τὸν εἰς Σάμον πλοῦν, δπως μὴ ἐπεῖσε φύγοι” i. e., „cursu, quo Samum itur, eum intercludens”. Busolt, III, 1588 et Breitenbach ad Xen. I, 6, 15 (cf. Breitenbach in Rhein. Mus. XXVII p. 509) arbitrari videntur Cononi non nisi unum πλοῦν εἰς Σάμον patuisse, sc. meridiem versus praeter Mytilenam. Sed cur Conon, si id facere magis ei placeret, secundum insulae oram, quae in septentrionem vergit, effugere non potuit? Nihil igitur Callicratidae relinquebatur nisi ut utramque viam Cononi intercluderet, ideoque eum circumveniret. ⁸⁾ Xen, I, 6, 16: „ἀριστους ἔρετας.”

hostes antecedens portum Mytilenaeorum prior intravit. Callicratidas, vestigia eius secutus¹⁾, proximus ab eo invehitur²⁾.

Strabo (XIII, 617) duos Mytilenaeis portus fuisse memorat, quorum alter, magnus altusque, a septentrionibus esset positus, alter ad meridiem spectaret³⁾. Illum a Diodoro indicari manifestum est, ubi tradit (XIII, 79) Callicratidam

¹⁾ Xen. I, 6, 16. ²⁾ Diodorus (XIII, 77) longe aliter rem factam esse narrat. Initio fide dignus est: „έτυχε μὲν οὖν ἀπάσταις ἀνηγμένος ἐπὶ τὴν βοῆθειαν τῆς Μήδουμης. εὐρῶν δὲ αὐτὴν ἥλωκυῖαν τότε μὲν γύλισθη πρὸς τινι νῆσῳ τῷ Ἐκατὸν καλουμένῳ, ἀμα δ' ἡμέρᾳ κατανήσκει τὰς τῶν πολεμίων ναῦς προσπλεούσας...” Deinde motu celeri ingenii res tam mirabiles fingere incipit ad Atheniensium laudem celebrandam, ut de fide eius maxima oriatur dubitatio. Quam longe in hac re praestat Xenophon, solas res gestas breviter commemorans! Insanum est cum Ephoro arbitrari, Cononem consilium cepisse, nedum conatum esse, cum septuaginta navibus, quamvis optime ornatis, classem centum quadraginta navium oppugnare, etiamsi notissimum addat strategema, quo rem mirificam magis probabilem faciat (cf. Polyaenus I, 48, 2, qui, non secus ac Diodorus, ex Ephoro hausit, vide Melber, Die Quellen Polyaens, S. 445, Leipzig, 1885). Eodem strategemate Alcibiadem usum esse tradit Diodorus in pugna ad Cyzicum commissa (XIII, 50), et Antiochum apud Notium (XIII, 71, 2). Cap. 50, 3 fere isdem verbis utitur ac cap. 77, 4:

XIII, 50, 3.

- 1°. αὐτοὺς ἀπέσπατε πορρωτέρω
- 2°. Ἀλκιβιάδης τὸ σύστημον ἡρεν
- 3°. αἱ μετ' Ἀλκιβιάδου τριήρεις
ἴξαί Φυῆς πρὸς ἔνα καιρὸν
ἐπέστρεψαν.

XIII, 77, 4.

πολὺ τῶν ἄλλων ἀπεσπάσθησαν.
ἡρεν Φοινικιδας τοῦτο γέρσεσσιμον
αἱ μὲν ναῦς ἤξαί Φυῆς πρὸς ἔνα
καιρὸν ἐπέστρεψαν.

Hoc igitur strategemate Ephorus saepius narrationem suam exornasse videtur. Praeterea, si victoriae reportandae copiam sibi fieri vellet, non ἔξω πλεῖν, sed potius in freto angusto manere Cononem oportebat, quod historia rerum ante gestarum eum docere satis poterat. Denique meminimus Cononem semper cautissimum nauarchum fuisse (nam talem et alibi et Naupacti se praestitit), non tantae temeritatis et ferociae virum, quantae Ephorus eum insimulavit. De hac Diodori narratione cf. etiam Busolt, III, 721 et ann. 1. ³⁾ cf. Thuc. III, 6: ἐπ' ἀμφοτέροις τοῖς λιμέσιν. Cf. tabulae splendidiae apud Koldewey, Die Antiken Baureste der Insel Lesbos. Berlin 1890.

tota cum classe (*ταῖς γὰρ ναυσὶν ἀθρόαις*) invectum esse λιμένα ναλὸν. Iam per se facile intellegitur Cononem, meridiem versus fugientem, potissimum portum septentrionalem intrasse. Ostium portus duae moles muniebant¹⁾, quibus introitus etiam magis coartabatur. Conon autem in animo habuit quam celerrime per portum transvehi, ut sub moenia ipsa naves subduceret. Quod quominus faceret, prohibuit Callicratidas²⁾, qui eum subsecutus in ipso ostio novissimum eius agmen aggressus est. Unde Conon hoc loco pugnare coactus est.³⁾

In ostio angusto tunc proelium factum est, cui parvam tantum partem utriusque classis interfuisse apertum est. Hac ipsa re Cononi contigit, ut maiorem classis partem (quadraginta naves sc.) sub moenia urbis in tutum reciperet. Reliquas triginta impetum hostium, qui numero tantopere superarent, non diu sustentasse minime mirum est. Homines tamen in terram (in χυλᾶς opinor) effugere potuerunt⁴⁾. Postremo Callicratidas in portu ancoris iactis exitum custodire coepit⁵⁾.

Omnes Methymnaeorum copias terrestri itinere Mytilenas

¹⁾ Strabo (XIII, 617) χῶμα, Diodorus (XIII, 79) χυλᾶς dicit. Nemini mirum videbitur Ephorum (Diodorum) regiones loaque, quae a Cyme patria sua proxime aberant, optime cognita habuisse. ²⁾ Hell. I, 6, 17. ³⁾ ἡγαγάσθη ναυμαχῆσαι (de verbis τρὸς τῷ λιμένι cf. Breitenbach ad hunc locum). Haec, contra Ephorum, affirmant Cononem non nisi vi coactum pugnam commisisse. Minime voluit, sed paruit necessitatibus. ⁴⁾ Hac quoque re artissimum navigandi spatium, angustum igitur portus ostium, fuisse demonstratur. ⁵⁾ Diodorus (XIII, 78) hic iterum narrationem nobis apparat, quae quasi spectaculi scaenici nos admonet. Quod ut facere posset, rem suam ita instituit, ut Callicratidam non secundum Cononem portum intrantem faceret, sed primum ad orae locum quendam appellentem, ut tropaeum ibi sisteret. Sic Cononi et ipsi ad scaenam instruendam tempus non deest. Ut primum ab ultraque parte omnia parata sunt, aulaea premuntur et fabula agi incipit. Etiam Schmidio (Konon 23) „fast unbegreiflich“ videtur Callicratidam tam diu cunctatum esse. In numeris afferendis et in totius rei exitu narrando, i. e. in eis rebus, quae maximi sunt momenti, Diodorus cum Xenophonte congruit.

ire iussit, quibus urbem etiam a terra includeret. Chio ex insula quoque copias transvehendas curavit. Callicratida autem tam prospere rem gerente, Cyrus amicitiam Spartiarum non neglegendam ratus denuo pecuniam misit¹⁾.

Ita Conon cum classe quadraginta navium Mytilenis et terrestri et maritimo itinere intercludebatur una cum Leonte et Erasinide strategis²⁾. Res periculo non carebat, nam magnus qui in urbe erat hominum numerus³⁾ iis commeatisbus, qui praesto erant, ad breve tantum tempus sustentabatur, et quia undique urbs circumsessa tenebatur, novi commeatus inferri nulli poterant. Conon igitur auxilium circumspectans primum, ut par est, de patria ipsa cogitavit. Athenis subsidium venturum, Athenienses novam classem missuros, qua se et sociam urbem obsidione liberrarent, persuasum habebat. Sed quomodo se Mytilenis obsessum teneri Athenas nuntiaret, ubi tota res prorsus ignorabatur⁴⁾?

¹⁾ Hell. I, 6, 18. ²⁾ Xenophon [I, 6, 16] Archestratum, quem Mytilenis mortuum esse Lysias (or. XXI, 8) auctor est, ne nominat quidem. Breitenbach ad h.l. propterea a Xenophonte eum neglectum censem, quod nihil iam gesserit dignum memoratu, cf. pag. 45 ann. 3.
³⁾ Hell. I, 6, 19. Homines, qui in tota Cononis classe fuerant [nam ii quoque, qui ex triginta navibus amissis εἰς τὴν γῆν ἀπέφυγον, in urbem convenerant, cf. Diod. XIII, 78, 3] civium numerum iam fere decem milibus auxerant. Praeterea ex agris circumiacentibus multi rustici in urbem se contulerant, cf. Diod. XIII, 78, 5. ⁴⁾ Hell. I, 6, 19: ναὶ οἱ Ἀθηναῖοι οὐκ ἐβοήθουν διὰ τὸ μὴ πυνθάνεσθαι ταῦτα. Quod minime raro factum esse videtur. Saepius in historia belli peloponnesiaci appareat, quanta ignorantia laborent ei, qui domi sunt, earum rerum, quae terra marique geruntur. Sic. Thuc. [I, 26, 3] narrat, Corcyraeos nescivisse copias Corinthiorum advehi, donec sero audiuerint eas Epidamnum iam pervenisse. Thuc. I, 31, 2 tradit eosdem Corcyraeos de ingentibus Corinthiorum apparatusero cognovisse. Thuc. III, 29 auctor est Athenienses prorsus ignorasse peloponnesiacam classem Mytilenas profectam esse, antequam ad Delum appulsa sit; deinde Lacedaemonios, eadem classe vectos, sero accepisse Mytilenas iam captas esse. Etiamsi nuntii afferebantur, tamen fides iis saepe denegabatur, cf. Thuc. III, 2, 3 [de Mytilenaeorum apparatusibus Athenas nuntiatis a° 428] et Thuc. VI, 32, 3 et 35, 1 (ubi eos, qui expediti-

Invenit autem hanc artem, quam Xenophon¹⁾ cum voluptate quadam narrat. Duas naves, quas habebat celerimis, prima luce deductas delectis remigibus ornat. Classiarii in cavernas se abdunt, tegumentaque e corio facta praetenduntur²⁾. Sic hostibus suspicio movebatur; quid vero pararetur, cognoscere non poterant. Usque ad vesperam homines in navibus manebant; tum tenebris obortis, hostibus insciis rursus egrediuntur. Idem cotidie repeti per quattuor dies iussit, ut hostes in hanc opinionem adduceret, se nocte per custodias evadere conaturum. Interdiu igitur hostes nihil mali suspicabantur et securi agebant. Medio die quinto, dum Lacedaemonii, qui exitum custodiebant, nihil cavent nonnullique etiam dormiunt, duae naves Cononis, commeatis impositis, e portu evehuntur. Altera Hellespontum versus ad septentriones cursum dirigit, altera ad meridiem properans altum petit. Arti Cononis bene successit, nam hostes imprudentes e navibus suis egressi erant ut prandium sumerent. Re subita perturbati naves condescidunt, ut fugientes assequantur. Alteram navem, quae ad meridiem fugiebat, sole occidente ceperunt et cum hominibus Mytilenas remulco retraxerunt. Altera effugit³⁾

onem Atheniensium appropinquare nuntiarent, a Syracusanis irrisos esse legimus]. Tales nuntios eodem loco habitos esse appareat ac rumores illos, quos nautae mercatoresque, ex itineribus suis reversi, afferre solebant. Manifestum igitur est nuntios publicos raro commeasse, certam publice percontandi et explorandi rationem aut nullam aut debilissimam iis temporibus fuisse. Cf. Busolt III, 1022, aliisque locis.

¹⁾ Hell. I, 6, 19—20, cf. Polyaenus I, 48, 4, qui tamen de diebus praecedentibus quinque ne verbo quidem locutus, utramque navem nocte effugisse tradit. Cf. Melber, Die Quellen Polyaens, 446. ²⁾ cf. Böckh, das Seewesen des Att. Staates 159. ³⁾ Hac nave vectum esse Erasinidem verisimile est. Xenophon enim (I, 6, 16) nobis narrat eum una cum Conone Mytilenensis in urbe inclusum esse, et cap. 29 eum pugnae ad Arginusas factae interfuisse. Nescio an Leon, qui capite 16 memoratur, cuius postea non iam fit mentio, in altera nave fuerit, quam Spartani ceperunt; cf. Breitenbach ad Hell. I, 6, 21 et Busolt III, 1589, 1. At, si hoc verum est, ubi postea Leon est? Xenophon nusquam eius iam memor est. Fortasse occidit in pugna cum Spartanis commissa, cum navem eius ceperunt. Sed quare Xeno-

et Cononem cum classe inclusum esse Athenas nuntiavit¹⁾.

Interea iam Diomedon, unus e στρατηγῶν numero, modico auxilio Cononi subvenire conatus erat. Is enim, auctore Xenophonte²⁾, ὥρμισατο εἰς τὸν εὔριπον τὸν τῶν Μυτιληναίων cum duodecim navibus. Diomedon non profectus erat Athenis³⁾. Nescimus utrum in excursione quadam de Mytilenaeorum obsidione certior factus sit, cum fortasse in Erasinidis navem incidisset; an forte circum Lesbum insulam vagatus sit. Ut cumque res se habet, Cononi subvenire conatus est. Quod ut ficeret, intravit, ut videtur, portum meridionalem, cuius aditus patebat, nam septentrionalis ostium a Callicratida custodiri meminimus. Deinde per εὔριπον, quo uterque portus coniunctus fuisse videtur, Cononi auxilium ferre tentavit, primo loco fortasse commeatisbus apportandis. Callicratidas autem, ut primum Diomedontem in portum meridionalem in vectum esse cognovit, e septentrionali portu evectus, et ipse meridionalem intravit, classemque

phon id non memoravit? Scripsit enim Lacedaemonios navem illam αὐτοῖς ἀγδράτιν in portum deduxisse. Hoc quoque mirum est, Xenophontem nihil amplius tradidisse de Archestrato, quem Lysias (or. XXI, 8) Mytilenis mortuum esse dicit (cf. pag. 44 ann. 2). I. M. J. Valeton in Serto Naberico, Lugd. Batav. 1908, pag. 389 sqq. Xenophontem erravisse censet, Leontem et Erasinidem una cum Conone Mytilenis inclusos esse memorantem (I, 6, 16), sed nomina eum proferre debuisse Archestrati et Erasinidis. Admonet (p. 390) Xenophontem (I, 6, 38) tradere, Cononem unum, Eteonico profecto, evectum esse, ne verbo quidem de Leonte addito. Etiam inter στρατηγῶν postea accusatos Leon non numeratur. Archestratum neque evectum esse cum Conone neque cum aliis accusatum esse, non est quod miremur. Nempe mortuus erat. Iure Valeton Busoltio obiectat (p. 390): „Busolt Leontis nomine omisso, neque altero pro eo nominato, eam difficultatem non tetigit Gr. Gesch. III, 1589.”

1) Diodorus, postquam cap. 79, 7 tradidit Callicratidam Mytilenas obsidione inclusisse a terra praecipue, deinde cap. 79, 8 initio factores Siculas narrandi, cap. 97. 1 pergit exponere res in Graecia propria gestas, quas cap. 79. 8 reliquerat. Sed ibi statim agit de expeditione ab Atheniensibus praeparata, ut Cononi subsidio venirent. Igitur tradere prorsus neglexit, quo tandem modo Athenenses de obsidione illa certiores facti essent. 2) Hell. I, 6, 22. 3) Quod Breitenbach ad Hell. I, 6, 22 demonstravit.

eius repente adortus decem ex navibus cepit. Diomedon cum sua ipsius nave et cum altera quadam effugit¹⁾.

Athenis omnes in maxima sollicitudine versabantur. Nam hoc minime ignorabant, si Cononem Mytilenaeosque deseruerint, nemini iam dubium fore, quin Athenienses belli exitum desperarent Lacedaemoniisque principatum maritimum concederent. Subsidio venire necesse erat, sed — quo modo? Deerat pecunia, deerant homines. Tum vero populares athenienses denuo ostenderunt, quantis facultatibus abundarent, si modo ultima necessitas urgeret. Quid fecerint, narrat Xenophon, idque tam sicce et sine ullo verborum ornatu, ut eo ipso animos nostros penitus permoveat: Atheniensibus visum esse classe centum et decem navium subsidio venire, omnes, qui aetate militari essent, naves concendisse, tum servos quum liberos²⁾, denique die tricesimo classem altum petivisse³⁾, multos equites quoque una profectos esse⁴⁾. Haec classis primum Samum in insulam profecta est, ubi decem naves samias sibi adiunxit; ceteri socii amplius triginta miserunt. Itaque omnibus navibus, quae praesto erant, collectis (iis ipsis quoque, quae adhuc in cursu erant) classis Atheniensium ad plus centum quinquaginta navium numerum aucta est⁵⁾. Pecuniam sibi paraverunt omnibus fere aureis et argenteis donariis vasisque templorum conflandis⁶⁾. Duces classi praeerant Aristocrates, Diomedon, Pericles, Erasinides,

¹⁾ De Mytilenaeorum urbis descriptione cf. Koldewey, Die antiken Baureste der Insel Lesbos, imprimis magna tabula in Tafel 1 et 2. Quae Koldewey pag. 18 de pugna ad Mytilenas facta exposuit, levioris momenti mihi esse videntur. ²⁾ cf. Diod. XIII, 97; Justinus V, 6.

³⁾ Hell. I, 6, 24. ⁴⁾ Inter quos Xenophontem ipsum fuisse satis constat: Ed. Meyer, IV, § 727 ann. ⁵⁾ Hell. I, 6, 25. Diodorus (XIII, 97, 2) denuo a Xenophonte in partibus quibusdam discrepat, dum sexaginta naves athenienses fuisse, decem a Samiis, octoginta ex ceteris insulis missas esse narrat, sed eandem summam centum quinquaginta navium indicat, cf. Plato, Menex. 243, c. De classe et de iis, qui ea vecti sunt, cf. Ed. Meyer IV § 727 ann. et Busolt III, 1591. ⁶⁾ C. I. A. I, 140, 69; Schol. Arist. Ran. 720; Philochori fragm. 120 (F. H. G. I, 403).

Protomachus, Thrasyllus, Lysias, Aristogenes, qui erant στρατηγοί anni 407/6¹⁾. Verisimile est eos omnes vere anni 406 iterum creatos esse, praeter Leontem²⁾.

Samo ex insula classis Atheniensium ad septentriones navigavit. Callicratidas ut primum cognovit classem auxiliarem iam Samum pervenisse, legato Eteonico³⁾ cum quinquaginta navibus Mytilenis relicto, ipse reliquas centum et viginti⁴⁾ in mare eduxit. Deinde in meridiem versus oram Lesbi insulae praetervectus ad Maleam promunturum constituit. Eodem die classis Atheniensium in conspectu Maleae ad Arginusas insulas stetit⁵⁾. Conon igitur etiam-tum Mytilenis remanebat ab Eteonico custoditus.

Postridie (mense Julio exeunte vel ineunte Augusto)⁶⁾ nobilis illa pugna ad Arginusas insulas⁷⁾ commissa est. Callicratidas ibi fluctibus submersus est, Lacedaemonii amplius septuaginta naves amiserunt, reliquae (fere quinquaginta igitur) partim Phocaeam, partim Chium in insulam confugerunt. Atheniensium viginti quinque naves fractae sunt. Postquam Athenienses victoriam reportaverunt,

¹⁾ Archestratus Mytilenis mortuus erat (Lys. XXI, 8, cf. pag. 45, ann. 3). Conon obsidione includebatur. Pro Leonte Lysias substitutus esse videtur, cf. pag. 35 ann. 3 et pag. 45 ann. 3. ²⁾ cf. Busolt III, 1592 ann. 1. Ed. Meyer (IV pag. 644 ann.) suspicatur imperium iis prorogatum esse, iisque στρατηγοῖς, qui vere anni 406 creati erant, imperium domesticum delatum esse. At, si verum est imperium iis prorogatum esse, nondum intellegitur cur id in omnibus στρατηγοῖς factum sit praeter Leontem. Etiam hac opinione accepta aenigma non solvit, quo Leon ille evanuerit. Ed. Meyer ipse de hac re scripsit (§ 727 ann.): „Wie das zu erklären ist, wissen wir nicht.” ³⁾ Eteonicum ἀρμοστὴν laconicum fuisse Thasi aº 410 tradit Xenophon I, 1, 32; cf. Thuc. VIII, 64. Eundem Astyochi legatum fuisse in insula Lesbo aº. 412 scribit Thucydides VIII. 23. 4. ⁴⁾ cf. Hell. I. 6. 3. Callicratidas ergo triginta naves, quas Cononi eripuerat, classi suae adiunxit. ⁵⁾ Hell. I. 6. 26—27. ⁶⁾ Busolt III, 1591 ann. Ed. Meyer IV § 727, ann.: „initio mensis augusti.” Boerner, De rebus a Graecis ab aº. 410—403 gestis, diss. Göttingen 1894, pag. 35, scribit: „medio circiter mensi Hecatombaeoni pugna tribuenda est.” ⁷⁾ De hac pugna pluribus verbis agunt Xenophon (Hell. I, 6, 28—34); Ed. Meyer IV § 728; Busolt III, 1595.

στρατηγοί Theramenem et Thrasylbum trierarchos cum quadraginta septem navibus naufragos e mari excipere iusserunt. Ipsi cum reliquis fere duodecim octoginta navibus Mytilenas statim petituri erant, ut Eteonico oppresso Cononem liberarent. Sed tempestate vehementi coorta impediti sunt quominus utrumque consilium persequerentur¹⁾. Ita et naufragi destituti sunt et Eteonico effugiendi facultas relicta est²⁾. Celox ad id ipsum parata³⁾ pugnae exitum nuntiavit Eteonico, qui procul a copiarum conspectu eam opperitus esse videtur⁴⁾. Ibi nuntios, priusquam quemquam alium de clade certiores facere possent, altum repetere, deinde continuo reverti iussit, tunc vero laureatos maximoque clamore et plausu, ut qui victoriam magnam referrent. Hac arte prohibuit ne subito pavore militum animi perturbarentur. Ne quis autem nuntio diffideret, ipse victimas caedit, militesque cenam sumere iubet. Mercatoribus imperat interea, ut merces suas in naves clam imponant Chiumque in insulam⁵⁾ pervehantur: ventum secundum esse. Eodem mox classem a se dimittit; ipse castris suis incensis copias pedestres Methymnam dicit⁶⁾. Conon, simulatque exitum liberum esse cognovit, continuo navibus deductis, cum tempestas iam sedata

¹⁾ Hell. I, 6, 35. ²⁾ Hell. I, 6, 36–37. ³⁾ Inde articulus δ in Hell. I, 6, 36: „τῷ Ἐτεονίῳ δὲ ὑπῆρεικὸς κέλης πάντα ἔχειγειλε”.

⁴⁾ Non est enim credendum milites, si ipsi vidissent celocem portum intrantem, Eteonico nantium afferentem, deinde rursus abeuntem, continuoque (*παραχρῆμα*) laureatam revertentem, de dolo nihil suspicatos esse. An Polyaenus (I, 44), qui in reliqua parte eius paragraphi nugas ineptissimas composit, vere narrasse putandus est, Eteonicum celocem nocte clam evectam postridie reverti iussisse? At haec male quadrant ad festinationem, qua Eteonicum usum esse quivis intellegit, ut, priusquam victores Athenienses adessent, ex portu effugeret. Quae supra scripsi, etiam confirmantur a Xenophonte (I, 6, 36), qui, quo primum celox appulerit, omnino non tradit; in reditu vero narrando ipsis verbis Eteonicum iussisse scribit *πλεῖν εἰς τὸ ξαυτῶν στρατόπεδον*. ⁵⁾ cf. Diod. XIII, 100, 5. ⁶⁾ Diod. [100, 5] Pyrrham eum profectum esse scribit, quae est urbs in media Lesbo prope *εὔριπον Πυρραῖον* sita.

esset, e portu provectus est. Atheniensium classi occurrit, iisque nuntiat Eteonicum iam abisse. Duae classes in unam confusae Mytilenas, deinde Chium, ubi tamen nihil agunt, postremo Samum navigant¹⁾.

Iam Athenienses animos receperant; classis enim atheniensis rursus praeerat mari; depulsum erat periculum, quod timuerant. Attamen victoriae laetitiam minuebat dolor tot civium perditorum. Noxii perquisiti simulque reperti sunt *στρατηγοί*, qui ad Arginusas insulas classi praefuerant. Ii tunc accusati sunt, quod socordia permoti tot naufragos, qui servari potuissent, perisse facile tulissent. Inde quaestio illa in duces habita²⁾ (mense Octobri), suppliciumque de sex ex iis sumptum³⁾. Quorum in numero Conon esse non poterat, cum pugnae ad Arginusas factae non interfuisset. Ipse hoc tempore Sami in insula versabatur. E collegis eius Archestratus mortuus erat, octo ceteri locis suis moti⁴⁾. Eo tempore igitur, quo omnium animos vehementissime commotos viresque civitatis nimis intentas fuisse sane intellegimus, Athenienses optimis ducibus, civibus fidissimis ipsi se orbaverunt⁵⁾. Deinde una cum Conone *στρατηγοί* electi sunt Adimantus⁶⁾ et Philocles⁷⁾. Discessum igitur est ab ea ratione, qua decem *στρατηγοῖς* imperium dabatur pari potestate, quam secuti erant a° 407 post imperium Alcibiadi abrogatum.

Autumno anni 406 proximaque hieme nihil memorabile

¹⁾ Hell. I. 6. 36—38, cf. Diod. XIII. 100. 6. ²⁾ Xen. I, 7, 1—34, cf. Diod. XIII, 101 sqq. Ed. Meyer IV § 729. Busolt III, 2, 1597 sqq.

³⁾ Archestratus Mytilenis mortuus erat (Lys. XXI, 8). Protomachus et Aristogenes prudentiores fuerant quam ut Athenas redirent (Hell. I, 7, 1). Aristoteles (*ΑΘΤ.* 34) et Plato (*Apol.* 32. b) decem *στρατηγοὺς* memorant, cf. I. M. J. Valeton in Serto Naberico, *Lugd. Bat.* 1908 pag. 387 sqq; „de numero praetorum a°. 406 Athenis condemnatorum,” et v. Wilamowitz, *Arist. und Athen* I, 127. ⁴⁾ cf. Hell. I, 7, 1, ex quo loco apparet eis primum imperium ademptum esse, deinde eos Athenas revocatos ad rationem reddendam ibique damnatos esse, cf. Beloch *Att. Politik* 89; contra Gilbert, *Beiträge*, 370. ⁵⁾ De loco, quo Athenis eo tempore res erant, cf. Ed. Meyer IV § 730. ⁶⁾ Alcibiadi familiaris, de quo cf. Pauly² I. 357. 3. ⁷⁾ Xen. Hell. I. 7. 1, cf. Diod. XIII, 104, qui Philoclen solum fuisse scribit.

gestum est. Classis Atheniensium iterum pecuniae inopia laborabat Cononique alenda erat per populationes¹⁾. Interea classis Lacedaemoniorum non meliore erat condicione. Eteonicus in insula Chio et ipse penuria premebatur, nam Cyri opibus non iam sustinebatur, militesque laconici mendicorum agmini similes erant²⁾.

Lacedaemoniorum socii ionici Ephesum concilio convocato legatos Spartam miserunt, qui obsecrarent Lacedaemonios, ut Lysandrum iterum ad classem mitterent, cui petitioni Cyrus quoque favebat³⁾. Spartae tamen magna pars civium a Lysandro eiusque rei gerendae ratione aversi erant animis, unde factum est, ut prius pacem cum Atheniensibus⁴⁾ facere conarentur. Quod cum, Cleophontis opera ut videtur, parum successisset, Lacedaemonii Lysandrum nomine ἐπιστολέως cum Araco nauarcho in Asiam miserunt⁵⁾. Vere anni 405 Lysander Ephesum pervenit⁶⁾. Continuo operam dat, ut classem laconicam summis viribus denuo confirmet. Eteonicum⁷⁾ cum classe eius Chio arcessit, omnes naves colligit, novas Antandri aedificandas curat. Deinde iter facit ad Cyrum. Is, priusquam ad patrem suum aegrotantem, a quo evocatus erat, abiret, Lysandrum pecunia largissima instruit. Simul obsecrat, ne ab Atheniensibus ad pugnam iustum committendam pelliciatur, priusquam navium numero eos longe superet⁸⁾.

¹⁾ Xen. II. 1. 16; Diod. XIII. 100. 6. ²⁾ Xen. II. 1. 1—5. ³⁾ Xen. II. 1. 6; Diod. XIII. 100. 7; Plut. Lys. 7. ⁴⁾ De animorum habitu voluntatibusque Atheniensium et de Ranis fabula hoc ipso tempore acta cf. Ed. Meyer IV § 732 et Busolt III, 1614—1615, cf. Gilbert, Beiträge 382—389. ⁵⁾ Disertis verbis de hac re egerunt Ed. Meyer IV § 731 et Busolt III, 1611—1612. ⁶⁾ Xen. II, 1, 10. ⁷⁾ Eteonicus igitur, quem Methymnam cum pedestribus copiis iter facientem reliquimus (Hell. I, 6, 38), postea et ipse Chium in insulam venisse videtur. Verisimile est, ei centum fere naves praestos fuisse, quinquaginta, quibus Mytilenis praefuerat, et fere quinquaginta, quae pugnae ad Arginus factae supererant (cf. pag. 48). ⁸⁾ Hell. II, 1, 10—11 et 13—14; Diod. XIII, 104, 3—4; Plut. Lys. 9. Diodorus (XIII, 104, 3) auctor est Lysandrum triginta quinque naves secum duxisse e Peloponneso. Itaque classis laconica fere centum triginta quinque navium fuisse existimanda est.

Atheniensium quoque duces Conon, Philocles, Adimantus navium numerum auxerunt¹⁾. Conon pugna ad Arginusas facta Samum in insulam venerat cum 163 fere navibus²⁾. Postea duces athenienses cum 180 navibus ad Aegospotamos ancoras iecerunt, 20 Sami relictis³⁾. Ergo classem suam fere 37 navibus auxerant, ut summa 200 navium conficeretur. Navium numero aucto *στρατηγῶν* quoque numerus augendus fuit. Ideo tres *στρατηγοί* adlecti sunt: Menander, Tydeus, Cephisodotus⁴⁾, qui cum Alcibiade inimicitias gerebant⁵⁾. Unde apparet eo tempore populares denuo Athenis rebus praefuisse. Hi iterum decreta fecerunt, qualia Cleon olim proposuerat in Mytilenaeos⁶⁾. Nam iis auctoribus populo Atheniensium visum est in posterum omnibus captivis manus dextras desecare, quamvis contra nitente Adimanto. Immanior etiam fuit Philocles, unus *ἐκ τῶν στρατηγῶν*, qui omnes homines, quos in duabus triremibus ceperat, de rupe deiecit⁷⁾.

Classis Atheniensium assidue regis fines populabatur

¹⁾ Xen. II. 1. 12, cf. Diod. XIII. 104. 1 et Breitenbach ad Hell. II. 1. 12. ²⁾ Classis Atheniensium emissa ut Cononem obsidione eximeret, 150 fuerat navium (Hell. I. 6. 25; Diod. XIII. 97. 2). Pugna ad Arginusas facta 25 naves interierunt (Hell. II. 6. 34; Diod. XIII. 100. 3), restabant igitur 125. Quibus cum adjuncta esset classis Cononis, quae 38 navium erat (nam duas Conon ex portu emiserat, quae Athenas nuntium afferrent), factae sunt naves 163. Diodorus tradit (104. 1—2) Athenienses Philoclem cum classe Samum misisse, eoque tempore totam classem 173 navium fuisse; deinde 20 navibus Sami relictis, *στρατηγοὺς* cum ceteris omnibus ad Hellespontum navigasse, i. e. cum 153 navibus. At cap. 105. 1 scribit ad Aegospotamos ancoras iecisse 180 naves; haec igitur sumpsite Xenophonte (II. 1. 20), non aliter ac Plutarchus (Lys. 9). Sicut fieri solet, ea, quae profert Diodorus, postremo tamen cum Xenophontis testimonio convenient. ³⁾ Diod. XIII. 104. 2, cf. D S^a 56 vs. 26 sqq. (= C. I. A. IV 2 p. 1. n. 1. b) et Judeich, Kleinasiatische Studien p. 28. ⁴⁾ Xen. II. 1. 16. ⁵⁾ cf. Xen. II. 1. 26. ⁶⁾ Thuc. III. 36. ⁷⁾ Xen. II. 1. 31—32, cf. Plut. Lys. 9, qui addit quo consilio illud fecerint, sc. διπλῶς δέρει φέρειν μή δύνωνται". Praeterea narrat Philoclem fuisse, qui populum atheniensem ad illud decretum faciendum impulerit.

quaerebatque opportunitatem, qua pugnam cum Lysandro committere posset. Eo consilio Chium quoque Ephesumque navigavit¹⁾. Lysander parvis expeditionibus operam dare quam summae rei periculum facere malebat: sic in sinum ceramicum profectus, qui Cariae oram dividit, urbem Cedreas cepit²⁾, Atheniensibus amicam, incolasque sub hasta vendidit, sed pugnae occasionem non quaerebat, immo diligenter evitabat³⁾. Id tantum agebat, ut moram interponeret. Nam classis Atheniensium perpetua pecuniae inopia in dies atterebatur, ipsius vero classis semper crescebat. Quietus igitur id temporis exspectabat, quo classem hostium prorsus delere posse sibi videretur. Cedreis Rhodum transvectus est, ut nova supplementa classi adiungeret, simul fortasse, sicut Busolt⁴⁾ coniecit, ut Athenienses de veris consiliis suis in errorem induceret. Rhodo autem in Hellespontum⁵⁾ proficiscitur, oram Ioniae legens, ut et naves

¹⁾ Xen. II. 1. 16. ²⁾ Xen. II. 1. 15. Diod. XIII. 104. 7 pro Cedreis Iasum substituit, quae urbs, iam a°. 412 a Lacedaemoniis capta, tunc in Tissaphernis potestate erat. Cf. Thuc. VIII. 28 et Busolt III. 1617. ann. 2.

³⁾ Tota expeditione in sinum ceramicum facta nihil aliud spectasse Lysander videtur, nisi ut Cononem evitaret.

⁴⁾ III. 1617.

⁵⁾ Xen. II. 1. 16—17. Diodoro (XIII. 104. 8) auctore Lysander primum in Atticam navigavit et in multa alia loca, ubi „μέγα μὲν οὐδὲν οὐδ' ἄξιον μνήμης ἐπράξε· διὸ καὶ ταῦτα μὲν οὐκ ἀναγράφειν ἐσπουδάσαμεν.”

Plutarchus (Lys. 9) idem Ephori testimonium pluribus verbis reddit: Lysandrum Aegina et Salamine deletis ad Atticam appulsum ibique cum Agide rege, qui Decelea ad eum venisset, congressum esse. Et Diodorum et Plutarchum ex Ephoro hausisse apertum est. Ed. Meyer IV § 734 hanc expeditionem in Atticam re vera factam esse existimat, quod negat Busolt III. 1617, ann. 3. Busolt rem acutetigisse mihi videtur. Nam hoc primum obscurum est, quamobrem ex Attica Rhodum Lysander redierit, antequam ad Hellespontum navigaret? Quod fecerit necesse est, si Meyer assentimur; nam Rhodo eum ad Hellespontum pervectum esse disertis verbis affirmat Xenophon (II. 1. 16—17). Hoc et ipse Meyer credit; expeditione enim attica enarrata, ita abrupte pergit: „Von Rhodos aus führte er die gesammte Flotte nach dem Hellespont.” An premi vult Meyer verbum „gesammte”? At unde novit Lysandrum non nisi cum parte quadam classis in Atticam transisse? Hoc minime quadrat ad cautissimam

frumentarias Atheniensium e Ponto domum redeuntes excipiat et urbes, quae defecerant, in Lacedaemoniorum potestatem denuo redigat. De qua re certior facta Atheniensium classis et ipsa provehitur, Chio ex insula, non oram secuta, nam Ἀσία πολεμία αὐτοῖς ἦν, sed altum petens¹⁾.

Itaque Athenienses Lacedaemonique iterum²⁾ in Hellesponto congressuri erant, ibique summa rerum in discrimen adducebatur. Lysander classem Atheniensium, quae ad Chium insulam stabat, furtim praetervectus, Hellespontum intrat, Abydum attingit, postremo Lampsacum urbem, quae adhuc in Atheniensium potestate erat, a mari intercludit. A terra urbs includitur a Thorace Lacedaemonio, qui copiis Abydi aliarumque urbium praeerat. Vi atque armis Lampsacus capit, copiae eius amplissimae diripiuntur; incolis ingenuis Lysander permisit ut liberi exirent³⁾. Conon, cum classe 180 navium quam celerrime ad Hellespontum itinere confecto, Elaeunte, ubi prandendi causa ancoras iecit, comperit Lampsacum urbem a Lysandro captam esse, statimque Sestum profectus est. Ibi commeatibus in naves impositis Aegospotamos navigavit, qui locus e regione

eius agendi rationem (cf. pag. 53 et Cyri consilium in pag. 51); nam sic magnum periculum erat ne cum parte classis suae in totam classem Atheniensium incideret. Diodoro Ephori narratio parvi momenti, fortasse fide vix digna visa est; solus Plutarchus (Lys 9) eam multis verbis tradidit. Accedit quod Plutarchus Lysandrum ignavum fuisse finxit et vaniloquum: „ἐπέδειξε ως πλέων οὐ βούλοιτο κρατῶν τῆς Σαλαμῖνης” et „τοὺς Ἀθηναίους αἰσθόμενος διώκοντας αὐτὸν ἀλλῷ δρόμῳ διὰ νῆσων ἐφευγεν εἰς τὴν Ἀσίαν,” quod tamen scriptorem minime voluisse constat. Denique neque Diodorus neque Plutarchus disertis verbis scripsit Lysandrum continuo ab Attica ad Hellespontum navigasse, ideoque vel accepta eorum narratione fieri potest ut arbitremur Lysandrum Rhodo ad Hellespontum navigasse, sicut Xenophon tradit. Diodori narratio ambigua brevior est quam ut ratio eius habeatur; Plutarchus, uti solet, in vitam Lysandri narrationem quandam exornatam libenter inseruit. Praeferenda est igitur narratio simplex et perspicua Xenophontis, qui iam per se fide multo dignior est.

¹⁾ Xen. II. 1. 17. ²⁾ cf. Thuc. VIII. 104 sqq. ³⁾ Xen. II. 1. 18—19, cf. Diod. XIII. 104. 8; Plut. Lys. 9.

Lampsaci situs erat, ubi homines suos cenare iussit¹⁾. Hic autem Lysander superbos ac socordes Athenienses modo notissimo per quadriduum delusit. Quinto die hostes inopinantes aggreditur. Non pugna fit, sed fere sine ulla dimicatione tota classis Atheniensium capitur, non nisi paucis navibus exceptis²⁾. Sic fortuna belli diiudicata est³⁾.

Quae autem Cononis nostri partes ad Aegospotamos fuerunt? Hoc primum dicendum est, eum longe pulcherrimas partes egisse. Ceteris omnibus, etiam strategis, maxima socordia per Chersonesum diffusis, ille tamen prope naves semper remanserat. Postquam primus Lysandrum cum classe appropinquantem vidi, militibus signum dedit ut, quam celerrime currere possent, naves completerent. Illius naves primae completae erant, ergo homines eius non longe afuerant. Solus effugere potuit, antequam Lysander navium orbem, quo castra Atheniensium includebat, contraheret. Praeter suam ipsius navem septem alias et illam, quae Paralus dicebatur, secum duxit⁴⁾. Ceterae omnes Lysandri

¹⁾ Xen. II. 1. 20—21. Diod. XIII. 105. 1, qui cap. 104. 2 iam hanc rem anticipavit ibique navium 153 mentionem fecit, hoc loco, Xenophonem secutus, 180 naves fuisse scribit. ²⁾ Fusius haec narrantur ab Ed. Meyer IV § 734 et Busolt III. 1619—1620; cf. Xen. II. 1. 22—30. ³⁾ Clades facta est initio mensis Septembris anni 405 Busolt III, 1620, ann. 1. ⁴⁾ Numerum navium, quae una cum Conone effugerunt, alium alii indicant rerum scriptores. Xenophon (II, 1. 28) octo et Paralum, novem igitur, fuisse scribit; Diodorus (XIII. 106) decem fuisse asseverat, quarum unam Conon concenderit, quae eum Cyprum in insulam transvexit; Plutarchus, (Alc. 37) δέκτω τριήρεις scripsit μετὰ Κόνωνος, quibus verbis utrum solas octo naves significaverit, an octo et Cononis navem, i. e. novem, non diiudicaverim. In Lysandri vita c. 11 Plutarchus Cononem cum 8 navibus ad Euagoram confugisse perhibet, et paulo post Lysandrum totam classem Atheniensium cepisse „ἀνευ τῆς Παράλου καὶ τῶν μετὰ Κόνωνος ἐκφυγουσῶν,” i. e., ut supra iam vidimus, octo cum Paralo, i. e. novem. Justinus V, 6 Plutarchum sequitur. Frontinus II, 1, 18 nullam navem effugisse contendit. Pausanias III. 11. 5 decem naves ad Cyprios evasisse narrat (ut scilicet numerum summatim comprehendat). Plutarchus igitur idem dicit quod Xenophon; Diodorus et Pausanias unam navem addiderunt. Ergo Xenophon recte scripsisse mihi videtur.

in manus devenerunt¹⁾, antequam in altum proiectae sunt. Conon cum vidisset rem Atheniensium perisse, sibique nihil aliud relinquere nisi ut novem suas naves servaret, primum Abarnidem, Lampsaci in promunturium, vectus, Lysandri vela magna, quae ibi servabantur, surripuit. Deinde ex Hellesponto profectus, Paralum Athenas misit, quae tristissimam cladem nuntiaret, ipse cum octo navibus²⁾ Cyprum in insulam ad Euagoram familiarem³⁾ se contulit.

De iis, quae Lysander postea perpetravit, et de rebus Athenis in urbe gestis cf. Xen. Hell. II. 1. 30 sqq., Ed. Meyer IV § 735 sqq., Busolt III, 1622 sqq.

¹⁾ Hoc loco Xenophontis narrationi aliquid deesse videtur. Lysias (in orat. XXI. 9—11) loquitur de duodecim navibus servatis, quarum duas Athenas duxit is, qui hanc orationem habuit; cf. Isocrates 18. 59. Itaque praeter Cononis octo naves et Paralum tres aliae effugisse videntur, cf. Busolt III 1621, ann. 1. ²⁾] Busolt III, 1621 et ann. 1. coniecit eas octo naves Cypro Athenas redisse, cum comperissent Piraeum adhuc patere navigantibus. „Wenn die 8 Trieren mit 1500 bis 1600 Mann, darunter mehreren Hundert Athenern, bei Euagoras geblieben wären, so müsste das doch wohl in der Lobrede auf den Fürsten [§ 51] Erwähnung gefunden haben.“ Mihi tamen haud absurdum videtur, Isocratem [IX. 51] his verbis: „τῶν γὰρ Ἑλλήνων πολλοὶ καὶ καλοὶ κάγαδοι τὰς ἑαυτῶν πατρίδας ἀπολιπόντες ἥλθον εἰς Κύπρον οἰκήσοντες κτλ.“ eas ipsas naves octo significasse. Cononis enim aequales non tam facile quam hodierni peregrinari vel ex patria emigrare solebant, et profecto de tali occasione, qualis tunc fuit, nobis cogitandum est, si Ἑλλήνων πολλοὺς sedes mutasse accipimus. Neque miramur comites illos Cononis, semel ad Cyprum appulsos, facile pellectos esse, ut ibi manerent „ὑγούμενοι [sicut scripsit Isocrates IX. 51] κουφοτέραν καὶ νομιμωτέραν εἶναι τὴν Ἔυαγόρου βασιλείαν τῶν οἷνοι πολιτειῶν“, quod tunc praesentes videre poterant. ³⁾] De tota re cf. Xen. II. 1. 27—29. Prorsus ficta narrat Diodorus XIII. 106, cf. Ed. Meyer IV § 734 ann., Busolt III, 1620, ann. 2. Plutarchus (Lys. 11) eadem exhibet quae Xenophon, cf. [de Paralo] Polyaenus I. 45. 2; Plut. Alc. 37; Isocrates 5. 62. Polyaeni expositio [VI, 27] perplexissima est. [Melber ad h.l. censet ea, quae VI, 27 traduntur, non ipsius Polyaeni esse, sed excerptum tantum ad nos devenisse].

Demosthenes 19. 191 auctor est Adimantum à Conone prodigionis accusatum esse. Non obloquar, sed tamen mirum est neque Xenophontem (II. 1. 32) neque ullum alium scriptorem Cononis nomen memorasse in hac re narranda, quae ipsa satis dubia est. Cf. Lysias 14. 38; Plut. Alc. 37; Paus. IV. 17 et X. 9; Gilbert, Beiträge 390—393.

C A P U T I V.

Mense igitur Septembri anni 405¹⁾ Conon in Cyprum insulam ad Euagoram²⁾ Salaminis regem pervenit. Athenas eum non redisse nemini mirum videbitur qui, quomodo Atheniensium duces in proeliis victi saepenumero a civibus suis domi sint excepti, paululum secum reputaverit. Nempe populus dolore exacerbatus hominem quaererebat, in quem acceptae cladis culpam posset conferre, neque quisquam facilius in suspicionem vocabatur quam ipse dux miserrimus.

Nonne brevi ante Conon viderat populum, a demagogis exagitatum, iram ac dolorem tot civium amissorum acerrime persecutum esse atque ab ipsis ducibus poenas petuisse, qui pugna ad Arginusas insulas — vicerant? Quanto magis eiusdem populi ira ei pertimescenda erat, qui tota fere classe amissa cum paucissimis navibus e proelio effugisset!

Causa autem, propter quam ad Euagoram potissimum confugit, haec erat. Ut in occidentis partibus Dionysius, sic Euagoras in oriente studiosissimus erat artium graecarum litterarumque; ut ille in Sicilia, ita in Cypro insula hic barbariam phoeniciam ex hominum moribus cultu atque humanitate Graecorum delere studebat. Itaque Euagoras magnam operam dabat, ut fines semper proferrentur, per quos cultum illum graecum propagaret. Multis demum annis post Alexander in multo maiore imperio suo idem ut fieret assecutus est. Non miramur igitur Cononem, quippe qui ardenti patriae amore impulsus Athenarum

¹⁾ cf. cap. III pag. 55 ann. 3. ²⁾ De Euagora cf. Pauly² 11er Halbband p. 820 [Swoboda].

splendoris gloriaeque desiderio flagraret, ad Euagoram confugisse, apud quem meliora tempora exspectaret, quibus pro viribus niteretur, ut propositum illud praeclarum consequeretur.

Euagorae, e Teucridarum gente oriundo, quae antea Salaminis imperium obtainuerat, Solos in urbem Ciliciae fugiendum fuerat, cum Abdemon, Citii rex, natione Poenus, Salaminis quoque regno potitus esset. Anno 411 Euagoras, Salamina reversus, regiam occupaverat veteremque Teucridarum domum in regnum restituerat¹⁾.

Paulatim Cyprum in insulam, Euagora regnante, colonia convenerat Graecorum²⁾, imprimis Atheniensium, quos hospitaliter rex recipere solebat. Euagoras enim Atheniensibus semper favebat, quibus etiam in bello contra Persas Lacedaemoniosque gesto re frumentaria opitulatus erat. Praeterea Athenienses in posterum quoque Euagoram sibi affore confidebant³⁾. Euagoras vero semper id agebat, ut urbem suam muniret, classem instrueret, ab omni parte imperium confirmaret propagaretque, quae omnia placide efficere potuit, cum rex Persarum, cui illud regnum graecum, quod prope fines suos tantopere cresceret, summo odio fuisse manifestum est, alibi vehementius occuparetur, quam ut Cypri sibi cordi essent⁴⁾.

Sic Conon, cum Salamine Euagorae hospitio uteretur, cum solis Graecis vivebat, ibique per octo annos moratus est. De quo tempore pauca admodum ad nos devenerunt. Iterum uxorem duxit Cypri natam, ex qua filium suscepit⁵⁾, qui tamen non idem est ac Timotheus. Nam Timotheus una cum matre sua Athenis remansisse videtur⁶⁾. Praeterea Athenaeus⁷⁾ nobis auctor est Timothei matrem

¹⁾ cf. [praeter Pauly⁸⁾] Ed. Meyer V, § 840 et ann., § 841; Judeich, Kl. As. Studien 113 sqq. ²⁾] Isocr. IX, 51. ³⁾ „καὶ πρόθυμος ὡν διατελεῖ ποιεῖν ὅτι δύναται ἀγαθόν” : I. G. I, 64. ⁴⁾ Ed. Meyer V § 841, cf. Isocr. IX, 47 sqq. et III, 28. ⁵⁾ apud Lysiam in or. XIX, 36. ⁶⁾ Lys. XIX. 36: „ἰκανὰ μὲν ἐνθάδε (i. e. ἐν Ἀθήναις) τῷ οὐτι ἐκάτερον (i. e. Κόγωνα καὶ Νικόφυμον) καταλιπεῖν, τὰ δ' ἄλλα παρ' αὐτοῖς ἔχειν”. ⁷⁾ XIII, 577a.

ex Thracia originem traxisse¹⁾). Deinde cum Conone, dum in insula Cypro degebat, fratrem fuisse comperimus ceteroquin ignotum, et fratri eius filium, quem bonis suis cypriis dispensatorem imposuerat²⁾). Praeter ea de Cononis peregrinatione cypria alta nocte omnia premuntur. Minime otio inerti ac desidioso se dedit, sed tempora mutata exspectavit, quae iterum in scaenam prodeundi occasionem ei darent³⁾). Ea occasio a° 398 ei oblata est.

Hieme anni 400/99 bello inter Persas Lacedaemoniosque denuo exorto, Lacedaemonii Thimbronem cum exercitu Ephesum miserant⁴⁾, qui, exercitui suo sex milibus militum adiectis, qui ex Cyri expeditione⁵⁾ supererant, bellum ulti-

¹⁾ Athenaeus non prorsus iniuria matrem illam Timothei ἐταιρεύει, Timotheumque ipsum idecirco νόθον fuisse scribit; nam Cononis matrimonium cum Thressa quadam [i. e. quae Attica non erat] contractum, si ad summum ius rem consideras, iustum quidem matrimonium non est habendum. Filium proinde e tali matrimonio natum [i. e. non εξ ἀστοῦ καὶ ἀστῆς], si quis velit, νόθον nominare possit. Attamen filium e tali matrimonio natum agnoscere semper licebat, sicut filius Pericli ex Aspasia natus postea agnitus est. Testamento, apud Lysiam XIX, 39 tradito, Conon filio suo Timotheo septendecim talenta ascripsit, neque alterius filii eo loco ulla mentio facta est. Quod ipsum iam designata alterum eum filium nothum fuisse, nam nothis e patrimonio parentum nihil debetur nisi quae νοθεῖα vocantur [cf. Gilbert, Gr. Staatsalterthümer 211]. Harpocration s. v. νοθεῖα ea mille drachmas non excessisse docet, Scholiasta ad Arist. Av. 1626 summum terminum quinque minas [500 drachm.] fuisse scribit, i. e. sextam vel duodecimam partem talenti. Etiamsi filius is ex muliere cypria natus legatum quoddam acceperit, tamen fieri non potest ut maius fuerit quam mille drachmarum, neque mirum est Lysiam ceteras summas enumerantem multo maiores minimam eam omisisse.

²⁾ Lys. XIX. 40; cf. Kirchner, Prosop. Att. no. 18699 et 13700.

³⁾ Ctesias in Persicis, ed. Gilmore, fr. 44 [Plut. Artax. 21]: „ὁ γὰρ „Κένων διέτριβε μὲν ἐν Κύπρῳ μετὰ τὴν ἐν Αἰγαῖς ποταμοῖς ναυμαχίαν, „οὐ τὴν ἀσφάλειαν ἀγαπῶν, ἀλλὰ τὴν τῶν πραγμάτων μεταβολὴν, „ἀσπερ ἐν πελάγει τροπήν περιμένων.” Cf. Nepos, Conon. 2; Isocr. V, 62, IX, 52; Athen. XII, 532b; Nepos, Chabr. III, 4. ⁴⁾ Xen. Hell. III. 1. 4. ⁵⁾ Xen. Hell. III. 1. 6. Xenophon ipse in eorum numero erat, cf. Ed. Meyer V, § 838, ann.

intulerat, sed postquam parum profecit, propterea ab ephoris revocatus, Dercylidae¹⁾ imperium tradere iussus erat.

Is, induitiis cum Tissapherne factis septentrionem versus in Pharnabazi²⁾ praefecturam profectus, ibique multis urbibus potitus, cum Pharnabazo ipso indutias³⁾ in hiemem anni 399/8 aestatemque proximam⁴⁾ fecerat. Anno 397 Dercylidas iterum contra solum Tissaphernem signa fert, qui tamen denuo proelium detrectans novas facit indutias⁵⁾. Sic bello, quod terrestri exercitu gerebatur, languescente, cum praefecti regii identidem proelia detrectarent, neque duces laconici longius ab ora maritima discedere auderent, Cononi tempus venisse visum est e latebris procedendi et classibus decertandi. Necessa erat rem in discrimen adduci, discrimenque id mari fieri⁶⁾. Atqui mari rem gerere Cononi unice conveniebat; peritia enim maritima excellebat, qua fretus res Lacedaemoniorum se labefacturum sperabat, Atheniensium se restituturum. Regi, si aliquid exequi vellet, magnam classem instruendam esse perspexit. Ipse paratus erat in ea classe militiam capessere.

Quamobrem continuo via brevissima procedere, ipse ad Artaxerxem proficisci, eiusque arbitrio consilia sua permettere in animo habet; sed Euagoras, quocum consilia sua communicavit, ne id faceret ei suasit⁷⁾, quamquam ipse Cononis consilia summopere approbabat⁸⁾. Euagoras deinde litteras misit ad Ctesiam, regis Artaxerxis medicum graecum, quibus quae Conon suspicere vellet demonstravit. Praeterea stipendum sibi impositum denuo regi pependit, quo facto necnon donis postea ad Satibarzanem missis (qui purpurratus quidam fuisse videtur) animum regis, quem rebus suis Cypri in insula gestis⁹⁾ offenderat, placare et conciliare sibi conatus est.

¹⁾ Xen. Hell. III. 1. 8. ²⁾ Qua re factum est, ut bellum non iam contra Tissaphernem unum, sed contra totum regis imperium geretur. ³⁾ Xen. Hell. III, 2, 1; Diod. XIV, 38, 3. ⁴⁾ Xen. Hell. III, 2, 9. ⁵⁾ Hell. III, 2, 14—20. ⁶⁾ cf. Isocr. IX, 55. ⁷⁾ Ctesias, ed. Gilmore fr. 43 [63]. ⁸⁾ Isocr. IX, 53—55. ⁹⁾ De offensione illa deque rebus ab Euagora in insula Cypro gestis cf. Ctesias, ed. Gilmore

Eodem tempore et ipse Conon per litteras Ctesiam adiit. Deinde Ctesias, cum Artaxerxe rege de Conone collocutus, eventum eius colloquii Cononi per epistulam nuntiavit. Eventus prosperus fuisse videtur; tunc enim Cononem ipsum epistulam ad regem misisse audimus, alteramque ad Ctesiam. De illa verbis disertis agit Ctesias (apud Plutarchum, Artax. 21). Conon tabellario imperavit ut epistulam, qua consilia sua Artaxerxi exposuerat, regi traderet sive per Zenonem ¹⁾, saltatorem quendam creticum, sive per Polycratem medicum, sive, iis absentibus, per Ctesiam ²⁾.

Dum haec fiunt, in aula Artaxerxis Pharnabazus quoque et legatio lacedaemonia versabantur. Pharnabazus, postquam indutias in aestatem anni 398 ³⁾ cum Dercylida fecit, vere ⁴⁾ in aulam regiam iter fecerat, ut coram rege quereretur Tissaphernem iusto mollius bellum gerere, eique ut bellum acrius gereret persuaderet. Re vera Artaxerxem adduxit, ut belli maritimi initium faceret, magnam classem instrueret, Cononemque nauarchum faceret ⁵⁾. Nimirum Euagorae opera, Ctesiae deprecatione, denique Cononis ipsius epistula factum est, ut Pharnabazi proposita benigne a rege audirentur.

Epitome Photii ⁶⁾ de legatione quadam lacedaemonia agit, quae Susis retenta est; quae huius morae causa fuerit, non commemoratur; procul dubio haec legatio spectatur, quam ideo rex abire prohibuit, ne ea, quae ipse mente agitaret, Spartam nuntiarentur.

fr. 48 [63]: „Αἰτίαι δι' ἀς Εύαγρα βασιλεῖ Σαλαμῖνος βασιλεὺς Ἀρτοξέρξης διηγέχθη,” et: „καὶ Κτησίου πρὸς αὐτὸν ἐπιστολὴ περὶ τοῦ διαλλαγῆναι αὐτὸν Ἀναξαγόρᾳ τῷ Κυπρίῳ βασιλεῖ”; cf. Theopomp. fr. 111 [Müller] et Diod. XIV. 98. Ed. Meyer V, § 841, ann.

¹⁾ cf. Athen. I, 22. c. ²⁾ Plutarchus rumorem quendam memorat, Ctesiam ipsum, antequam Cononis epistulam regi traderet, petitionem adscripsisse, qua regem rogaret, ut se ipsum, virum rerum maritimorum peritissimum, ad Cononem mitteret. „Ctesias autem,” addit Plutarchus, „regem sibi sponte id mandavisce dicit.”

³⁾ cf. pag. 61. ⁴⁾ cf. Judeich. Kl. As. Studien 50. ann. 1.

⁵⁾ Diod. XIV. 39; Just. VI. 1. (Oros. III, 1. 7). ⁶⁾ Ctesias ed. Gillmore, fr. 48 (63).

Artaxerxes deinde litteras ad Cononem scriptas Ctesiae Cyprum in insulam perferendas dedit. Pharnabazus et ipse aliquanto post Cyprum iter fecit, quingentis talentis a rege acceptis, quibus classis instrueretur. Qui Cyprum postquam pervenit, classe centum navium imperata cum Conone collocutus est, quem classi ei praefecit, dum plura etiam regis beneficia ei ostentat. Conon honorem non detrectavit¹⁾.

Pharnabazus, mox in continentem transvectus, ubi una cum Tissapherne Dercylidae resisteret²⁾, reliquam curam classis instruendae Cononi delegasse videtur³⁾. Qua re Conon per totum annum 397 proximamque hiemem occupatus est.

Interea Lacedaemonii quae rex apparabat plane ignorant; nam litterae, quas Artaxerxes Spartam perferendas Ctesiae cederat⁴⁾, procul dubio nihil aliud spectaverant, quam ut ephoris pulverem ob oculos aspergerent. Pharnabazus et Tissaphernes iterum quam citissime industias cum Dercylida fecerant⁵⁾. Itaque omnia pacis otiique plena esse videntur, Spartani periculum nullum provident, dum Conon cum bona pace classem suam adornat.

Tandem exterriti sunt Lacedaemonii ab Heroda, mercatore quodam syracusano, qui, ex Phoenicia Spartam redux, magnos apparatus se ibi vidiisse narravit, magnamque classem, quae fortasse trecentarum navium foret, ibi instrui tradidit⁶⁾. Nimirum Lacedaemonii, continuo quae

¹⁾ Diod. XIV. 39. Iter Ctesiae Cyprum, inde Spartam factum et Pharnabazi Cononisque colloquium veri anni 397 adscribenda sunt, cf. Ed. Meyer V § 841 et ann.; Judeich, Kl. As. Studien, 50 ann. 1.

²⁾ Diod. XIV. 39, 4 sqq.; Xen. Hell. III, 2, 13—14. ³⁾ Inde proverbium pernotum: „πόλεμος δὲ Κύνωνι μελήσει”, cf. Ilias Z, 492 = T, 187 [πόλεμος δέ ἄνδρεσσι μελήσει] et Arist. Lysistr. 520 et 538 [πόλεμος δὲ γυναιξὶ μελήσει] et Diogenianus VII. 75.

⁴⁾ Ctesias (Gilmore) fr. 43 (63). ⁵⁾ Xen. Hell. III, 2, 20; Diod. XIV, 39, 6. Quod ad tempus attinet, cf. Xen. III, 2, 17, ubi haec leguntur: „καὶ γὰρ ἦν βαθὺς ὁ σῖτος ἐν τῷ Μαιάνδρου πεδίῳ.” ⁶⁾ Xen. Hell. III, 4, 1; Xen. Ages. I, 6 sqq.; Plut. Ages. VI. 1; Diod. XIV. 79. 1.

Artaxerxes moliretur intelligentes, suam oppressionem hac classe parari sibique prospiciendum esse rati, auxilia ex sociis suis conquisiverunt. Thebani, Corinthii, Athenienses¹⁾ ne bello Lacedaemoniorum interessent, recusaverunt, sed Nopherites, Aegyptiorum rex, pollicitus est se Spartanis affore frumenti subvectione et armamentorum centum navium copia facienda²⁾.

Vere anni 396 Agesilaus, una cum Lysandro in Asiam profectus, magno cum exercitu Ephesum appulsus est. Continuo Tissaphernes, sicut facere solebat, cum eo indutias fecit, in tres menses. Agesilaus, in Pharnabazi praefecturam profectus, deinde in Ioniam in hibernacula concessit, postremo vere anni 395 Tissaphernem ad Pactolum³⁾ flumen magna clade affecit.

Vere anni 396⁴⁾ bellum maritimum suscipitur. Nam eo tempore Conon cum quadraginta navibus, quas in insula Cypro atque in Cilicia adornare iam potuerat, qua in re Euagoram ei auxilium tulisse constat⁵⁾, Caunum, in Cariae urbem⁶⁾, transvehitur ibique manet, sive ut apparatus suos ibi perficiat, sive quod parva cum classe in altum prodire non audet. Classis enim laconica centum fere navium⁷⁾, cui Pharacidas⁸⁾ praeerat, Rhodi stabat.

¹⁾ Pausanias (III. 9. 2) auctor est Athenienses recusasse, cum comperissent Cononem ad regem iter fecisse. Qua re nihil aliud significari potest nisi hoc, rumores ad aures eorum pervenisse de Conone per Euagoram et Ctesiam cum rege de classe paranda agente. ²⁾ Diod. XIV, 79, 4 et 7; Just. VI, 2, 1–3. Sine dubio Justinus, ubi narrat regem Aegyptiorum 100 naves misisse, errore tenetur. Quae tradit Diodorus (sc. eum armamenta centum navium misisse) multo verisimiliora sunt. ³⁾ Copiosius de hac re agit Ed. Meyer V § 842–844.
⁴⁾ Quod ad chronologiam attinet, cf. Ed. Meyer V § 845 ann.
⁵⁾ cf. Swoboda in Pauly⁹ 11er Halbband p. 820. ⁶⁾ Diod. XIV, 39, 4 et 79, 5. ⁷⁾ Diod. XIV, 79, 4 tradit classem laconicam 120 navium fuisse, Isocrates vero IV, 142: „centum”, qui numerus summatim positus esse videtur; oratoris enim parvi intererat iustum numerum reddere. Eundem numerum centum navium Diodorus ipse et Justinus exhibent, ubi auxilium regis Nopheritis commemorant. Verus igitur numerus effici non posse videtur quam ob rem „fere centum” scripsi. ⁸⁾ Diodorus (XIV, 79, 4)

Pharacidas, Rhodo transvectus, Caunum obsidione claudit; sed postquam Pharnabazus una cum Artapherne Cononi magnis copiis succurrerunt, terrestri itinere ut videtur, Pharacidas obsidione desistere cogitur, Rhodumque redit¹⁾ tota cum classe. Ea ipsa aestate anni 396 Pharax²⁾, qui a° 397 nauarchus fuerat, classi praepositus, Dionysio opitulaturus, in Siciliam missus est, unde apparuit Lace-daemonios Cononis apparatus non magni fecisse neque extimuisse.

In classe laconica, quae Rhodi stabat, Pharacidam e ei Φάραξ nomen fuisse testatur. De iis nominibus Φάραξ et Φαρακίδας cf. ann. 2 huius paginæ.

¹⁾ Diod. XIV, 79, 5. ²⁾ De nominibus quae sunt Φάραξ et Φαρακίδας, ac de quaestione utrum nomina ea eundem virum designant an duos diversos, viri docti dissentunt, cf. Sievers 39 ann. 68; Judeich Kl. As. Stud. 55 ann.; Beloch II. 160. ann. 2; Ed. Meyer V, § 796; Grenfell-Hunt in „The Oxyrhynchus papyri V p. 212—213. Quo modo haec quaestio solvenda est? Ad tres quaestiones respondendum est: 1°. quis a° 397 una cum Dercylida in Caria nauarchus fuerit, 2°. quis a°. 396 Cononem Cauni obsidione clausurit, 3°. quis a° 396 in Siciliam Dionysio succurrendi causa profectus sit. Ad primam quaestionem respondet Xenophon (Hell. III, 2, 12 et 14): „Pharax”, ad secundam Diodorus (XIV, 79, 4 et 5): „Pharax,” ad tertiam Diodorus (XIV, 63, 4; 70, 1; 72, 1): „Pharacidas”, Polyaenus (II, 11): „Pharacidas”, Theopompus (fr. 218 Müller): „Pharax”, Plutarchus (Timol. 11): „Pharax”. Hac de causa coniecerim Pharacem diversum fuisse a Pharacida; Diodorum more suo alterum cum altero confundisse, itaque Pharacem scripsisse, quo loco „Pharacidam” debuerit, Pharacidam, quo loco „Pharax” fuerit nominandus (Polyaenus Diodorum imitatus est vel ex eodem fonte hausit), denique Xenophontem, Theopompum, Plutarchum recte nomina tradidisse. Existimans igitur nauarchos laconicos aestate praincipiti magistratu abire solitos esse (cf. Grenfell-Hunt Oxyr. Pap. V p. 210 ann. 21: „Meyer, who formerly IV p. 619 agreed with Beloch, Philol. XLIII p. 261 in accepting midsummer, now agrees with Lohse, Quaest. chronol. ad Xen. Hell., p. 43 sqq., and with Beloch's former view: Rhein. Mus. XXXIV p. 119 in regarding the autumn i. e. the beginning of the official Spartan year, as the normal commencement of the term of office of the ναυάρχοι), colligo Pharacem nauarchum fuisse ab a°. 398 usque ad autumnum a° 397, Pharacidam autem ab a°. 397 usque ad a° 396. Haec confirmant nova Hellenica nuper inventa (quae in posterum

magistratu abeuntem exceptit alius, cui nomen Pollis¹⁾ fuisse videtur.

Interea Cononi Caunum auxilia mittuntur. Demaenetus²⁾ quidam Atheniensis una cum popularibus aliquot nave in Piraeo adornata ad Cononem evehitur arbitratu suo „οὐ μετὰ τῆς πόλεως”³⁾. Athenienses veriti ne hanc ob rem bellum cum Lacedaemoniis denuo exardescat, propere Milonem, Aeginae insulae ἀρμοστὴν, certiorem faciunt, qui Demaeneti navem deprehendere conatus ad irritum tamen redigitur⁴⁾.

Athenienses, quamvis Demaeneti incepturn palam dissimularent, tamen iam antea clam Cononi auxilium tulerant⁵⁾. Praeterea quo animo Athenienses fuerint erga regem adversusque Lacedaemonios, non modo e legatione perspicitur ad regem missa⁶⁾, sed etiam ex eo ipso, quod se Agesilai⁷⁾ expeditionis participes fore negarunt. Mox tamen maiora auxilia⁸⁾ ad eum pervenient. Etenim dum Conon Cauni

editores Grenfell et Hunt (p. 113) secutus littera P designabo). Columnae enim primae (ubi de anno 396 agitur) versu 31º P de Atheniensium legatione ad regem missa scribens „οὐς” inquit „καὶ συλλαβῶν Φάραξ ὁ πρότερον ναύαρχος ἀπέστειλε πρὸς τοὺς Λακεδαιμονίους, οἱ ἀπέκτειναν αὐτούς”; itaque: „Φάραξ ὁ πρότερον ναύαρχος” i. e. nauarchus anni 398—397. At perturbatio etiam inde orta esse potest, quod Φαρακίδας nomen plenum, Φαραξ autem nomen blandum fuerit, quod in nominibus propriis graecis saepenumero invenitur, cf. Bechtel-Fick, Gr. Personennamen² p. 35 et 36. Utcumque res se habet, Pharamem aº. 398—397 nauarchum fuisse constat, itemque nauarchum anni 397—396, sive Pharacidas ei nomen fuit, sive alia appellatione gaudebat, discrepasse a Pharace nauarcho.

¹⁾ cf. P col. III, 21 et col. XV, 35. Postea Pollis ille nauarchi Podanemi (aº 393/2) legatus fuit, cf. Xen. IV, 8, 11; Beloch, Att. Pol. 349. ²⁾ Δημαίνετος ὁ Βουλύγης, cf. Aesch. II. 78; Kirchner, Prosop. Att. n.º 3265. ³⁾ P col. I. 24. ⁴⁾ P col. I, 1—25. II, 35—40. III, 1—5. ⁵⁾ P col. I, 25—29: „arma remigesque.” Cf. Isocrates IV, 142: „ἐν δὲ τῷ πολέμῳ τῷ περὶ Ρόδου. . χρώμενος (ὁ βασιλεὺς) δὲ ταῖς ὑπηρεσίαις ταῖς παρ' ἡμῶν.” ⁶⁾ P col. I, 29—30, cf. Isaeus XI, 8; Harpocratis s. v. Αγνίας. ⁷⁾ Paus. III, 9, 2. ⁸⁾ De iis auxiliis nemo nisi P et Diodorus loquitur. Xenophon (IV, 3, 12) pugnam ad Cnidum factam memorans nihil tradit, nisi Pisandro multo pauciores naves fuisse quam Cononi Pharnabazoque. P semel tantum auxilia Cononi

moratur, classe laconica Rhodum iam revecta, persica classis nonaginta navium in portum Cauni navigat, quae postquam cum eius navibus, quadraginta numero, coniuncta est¹⁾, iam centum triginta naves ei praesto sunt. Decem ex iis e Cilicia fuerunt, ceterae octoginta e Phoenicia, Actone quodam duce, Sidoniorum principe²⁾.

Tunc demum navium Lacedaemoniorum numerum excendens Conon considerat, quid sibi ulterius faciendum sit, num forte hostes suos, qui semper Rhodi stabant, adoriantur. Eosne continuo aggrediatur? At quo animo Rhodii ipsi sint ignorat. An exspectet, si classis laconica in altum provehatur? Mediam eandemque tutam viam ingressus, e portu Cauni profectus, ad Chersonesum rhodium, in Rhodi ipsius conspectu sitam, cursum dirigit³⁾.

missa esse auctor est (col. III, 23—26) eodem tempore, quo recens nauarchus laconicus ad classem abierit (col. III, 20—22), i.e. autumno anni 396; neque usquam alibi in fragmentis ullum vestigium auxilii missi apparet. Diodorus bis de auxiliis agit, 1º de auxilio quadraginta navium (XIV, 79, 6), postquam obsidione Caunus liberata est, 2º nonaginta navium (XIV, 79, 8), cum Conon Rhodi iam esset. Hic locus ad verbum cum P congruit, ideoque ex P ipso vel per alios ex P sumptus est. Diodoro auctore Conon postremo classi 170 navium (40 + 40 + 90) praeest. Attamen alibi (XIV, 83, 4) pugnam ad Cnidum factam describens, Cononi et Pharnabazo „τριήρεις.. πλείους τῶν ἐνεγκόντα” fuisse tradit, quae de 170 navibus minime scribi potuisse manifestum est. Diodori igitur in narratione magna iterum perturbatio invenitur (cf. ad p. 76 ann. 2). Quia autem et P et Diodorus Cononis classem auctam esse asseverant 1º autumno anni 396, 2º dum Conon Cauni moratus sit, incrementum 40 navium, quod apud Diodorum (79, 6) legitur, delendum atque incremento 90 navium, in c. 79, 8 memorato, mutandum esse coniecerim. Unde colligendum est Cononi 40 + 90 = 130 naves, Spartanis contra 100 (vel 120) naves fuisse. Simul facilius sic intellegitur Rhodios defecisse classemque laconicam ex ea insula discessisse, nam utrumque factum est postquam Conon auxilia accepit. Cf. Grenfell-Hunt p. 213 vs. 16—19.

¹⁾ Autumno anni 396. ²⁾ Diod. XIV, 79, 8 = P col. III, 23—26. Ex iis, quae praeterea e col. III restant, conici posse videtur decursum quandam navalem Cononem Cauni fecisse vel proelium aliquod commisisse (III, 31—40) Pharnabazo praecente. ³⁾ Diod. XIV, 79, 6.

Quo facto cum Lacedaemoniis numero navium longe disparibus incursionem e proxima vicinia minitaretur, res ex sententia ei processit¹⁾.

Rhodus enim, post συνοικισμὸν ad magnae urbis amplitudinem aucta atque adulta, Lacedaemoniorum grave imperium eorumque ἀρμοστὰς ac decemviratus non nisi invita tulerat. Sparta Rhodiis, sicuti ceteris, qui Asiam incolebant²⁾, in odium venerat, et iam dudum Rhodios occasionem circumspexisse verisimile est a dominis invisus deficiendi³⁾. Quae occasio tandem oblata est. Nam persica classis e regione urbis ipsius conspecta Rhodiis animos addidit, ut classe laconica e portu expulsa a Lacedaemoniis desciscerent⁴⁾. Conon classem hostium quiete abire passus, deinde Rhodium ipse transgressus cum tota classe sua a civibus maximo gaudio in portum admittitur⁵⁾. Brevi post Cononi praeter opinionem contigit, ut classis frumentaria ab Aegyptiorum rege emissā, ut Lacedaemoniis subsidio esset⁶⁾, Rhodi ubi appulsa est, in eius manus incideret. Nam Rhodi defectionem plane ignorans portum rhodium nihil mali suspicata ingressa est, nimirum grata atque accepta Cononi⁷⁾.

Vere eiusdem anni 395 Agesilaus Tissaphernem ad Pactolum⁸⁾ fuderat, quo facto Artaxerxes rex Tithraustem in Asiam miserat, qui Tissaphernem praefectura moveret suppliciumque de eo sumeret⁹⁾. Itaque paulo post pugnam ad

¹⁾ Non necesse est, opinor, Judeichio (64) assentiamur, qui arbitratur Cononem e Chersoneso cum popularibus rhodiis condiciones tulisse atque audisse, cf. Paus. VI, 7, 6. ²⁾ Isocrat. VIII. 108. ³⁾ cf. Van Gelder, Gesch. der alten Rhodier 83 et 84. ⁴⁾ Usque ad nostrum tempus cum ea defectione seditio quoque rhodia coniungi solebat, quae optimates deiecit; sed ex P col. XI, 1—34 patet tempus satis longum interfuisse, cf. pag. 69 et 70. ⁵⁾ Diod. XIV. 79, 6, cf. Paus. VI. 7, 6; quae hieme 396/5 (vel initio aī 395) facta esse verisimile est, cf. Ed. Meyer V § 845; Grenfell-Hunt, Ox. Pap. V. p. 213. ⁶⁾ cf. pag. 64. ⁷⁾ Diod. XIV, 79, 7. ⁸⁾ cf. Ed. Meyer V § 844. ⁹⁾ Xen. III, 4, 25; Diod. XIV, 80, 6—8; Polyaen. VII, 16, 1; Nepos, Con. 3; P col. VII, 4—VIII, 42. Nepos perperam tradit, Cononem in aula persica commorantem regi auctorem fuisse ut Tithraustes in Asiam mitteretur. Tithraustes enim in Asiam pervenit, antequam Conon in

Pactolum factam, i.e. aestate anni 395, et Tithraustes in Phrygiam advenit et Tissaphernes suppicio affec-tus est.

Conon igitur inde ex initio anni 395 Rhodi morabatur. Ibi aestate eiusdem anni seditioni favit popularium contra optimates eamque per milites suos sustentavit. Quippe cotidie milites suos armatos recenseri iusserat, specie ut praeverteret desidiam ceteraque mala, quae inde oriri solent, re ipsa ut cives rhodios copiarum aspectu assuefaceret, quo facilius, si res eo venisset, opprimerentur. Tum ipse cum viginti triremibus Caunum transvectus, legatis suis Hieronymo¹⁾ et Nicophemo²⁾ res gerendas permisit. Ipse enim Diagoridarum³⁾ ruinae interesse noluit. Postridie Hieronymus et Nicophemus milites ad recensendum, ut fieri solebat, paratos partim ad portum, partim prope forum constituunt. Deinde, qui ex Rhodiis coniuraverant, in forum confluunt. Quorum unus, Dorimachus quidam, in suggestum lapideum ascendit ibique exclamat: „ἰωμεν, ὡς ἄνδρες πολίται,
ἐπὶ τοὺς τυράννους τὴν ταχίστην”.⁴⁾ Ceteri curiam⁵⁾ irrumpunt siccis armati, quibus Diagoridas undecimque cives alios trucidant. Quo facto populum rhodium in contionem cogunt, quae dum habetur, Cauno Conon redisse nuntiatur. Coniurati paucis civibus expulsis rempublicam populari ratione constituunt. Hoc modo brevissimo spatio seditio rhodia confecta est⁶⁾.

Ex hac narratione colligendum est Cononem cum classe sua iam Rhodi fuisse, cum seditio fieret, qua popularibus

aulam iter fecit, cf. Grenfell-Hunt p. 219, ann. ad VII, 4, sqq. Cf. pag. 72 ann. 6.

¹⁾ Kirchner Prosop. Att. n°. 7552. ²⁾ ibidem n°. 11066. ³⁾ De gente ea Diagoridarum, quae inde ex anno 411 reipublicae rhodiae praefuit [cf. Thuc. VIII, 44, 1—4; 55, 1; Diod. XIII, 38] cf. Paus. VI, 7, 1—7; Pind. Ol. VII; Van Gelder, Gesch. d. alt. Rhodier 78—84; Grenfell-Hunt in Ox. Pap. V. p. 222, ann. 10. Etiam Dorieus ille pernotus e gente ea originem traxit, de quo cf. Pauly⁷⁾ p. 1559, sub 4.
⁴⁾ Haec una oratio est, quae in P legitur, cf. cap. I. pag. 21, ann. sub 2^o. ⁵⁾ τὰ συνέδρια τῶν ἀρχόντων. ⁶⁾ P col. XI, 1—34.

respublica traderetur, igiturque ut Conon in portum rhodium reciperetur, deinde ut Rhodus ipsa initio anni 395¹⁾ a Lacedaemoniis deficeret, factum esse non unius factionis popularis²⁾, sed totius civitatis opera, quae adhuc ab optimatibus (i.e. a Diagoridis) regeretur. Conon, cum Diagoridis regnantibus (i.e. eorum quoque opera) in portum receptus esset, se eripere maluit, ne eorum calamitatem spectaret. Nam, quominus Diagoridis contra populares opem ferret, voluntas et consilia eum prohibuerunt, quae de republica habebat; ne populares contra privatim adiuvaret adversus Diagoridas, retentus est, quia multa iis debebat. Abeundum igitur sibi esse censuit. Quae omnia morum probitatem in Conone nostro mihi indicare videntur. Eis rebus expositis P continuo ita scribere pergit: „Βοιωτοί δὲ καὶ Φωκεῖς τούτου τοῦ θέρους εἰς πόλεμον κατέστησαν,” e quibus efficere licet seditionem rhodiam aequa aestate anni 395 factam esse.

Quamvis prospere omnia Cononi succederent, tamen angustiis pecuniae laborabat. Nam praeter quingenta talenta, quae vere anni 397 Pharnabazus Cyprum secum tulerat³⁾, Conon non nisi rarissimis subsidiis a Persis sustentatus esse videtur. Militibus eius multorum mensium stipendium debebatur⁴⁾, cum praefecti regii neque suppeditarent, quod satis esset, neque certum pendendi ordinem observarent⁵⁾. Quam ob rem Conon cum viginti navibus Caunum trans-

^{1]} cf pag. 68 ann. 5. ^{2]} sicut vulgaris est opinio. ^{3]} cf. pag. 63. ^{4]} P col. XV, 39 et XVI, 1–2 haec habet: „ἐτύγχανε δὲ τοῖς στρατιώταις κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον προσοφειλόμενος μισθὸς πολλῶν μηνῶν”. Isocrates IV, 142: „πεντεκαλδεκα δὲ μηνῶν τοὺς στρατιώτας τὸν μισθὸν ἀπεστέρησεν” (sc. Ἀρταξέρξης). ^{5]} P col. XVI, 2: „ἐμισθοδοτοῦντο γάρ ὑπὸ τῶν στρατιηγῶν πανῶς, ὃ ποιεῖν ἔθος ἐστίν ἀεὶ τοῖς πολεμοῦσιν ὑπὲρ βασιλέως”, e quibus Iustinus hanc videtur VI, 2, 11, ubi scribit: „[militum] quos praefecti regii fraudare stipendio soliti erant.” P XVI, 4 sqq. disertis verbis tradit, Persas stipendia male pendere solitos esse, cuius rei exempla profert. Vocabulo „στρατηγῶν” P duces exercitus Persarum pedestris denotare videtur; cf. P XVI, 27, quo loco Ariaeus et Pasiphernes στρατηγοί appellantur. Eosdem Iustinus vocabulo „praefecti regii” designat.

vectus, inde ad Pharnabazum et Tithraustem iter fecit, ut eos pecuniam flagitaret.

Sardibus cum Tithrauste congressus, ei exponit periculum esse, ne totum inceptum pecuniae inopia in irritum redigatur, neque aequum esse, eos ipsos, qui pro rege pugnant, inopia laborare. Tum Tithraustes nonnullos ex iis Persis, qui cum eo esse solebant, emittit, traditis talentis ducentis viginti, e re familiari, quam Tissaphernes reliquerat, sumptis, quos inde stipendium militibus pendere iubet¹⁾). Per breve tempus etiam Sardibus mansisse Tithraustem comperimus, deinde postquam Ariaeum et Pasiphernem²⁾ copiis praefecit, ipse ad regem revertitur³⁾.

Cauni, cum Conon Sardibus eo redisset, gravissimus tumultus militum erupit, quem ille aegerrime sedavit⁴⁾. Cypriae enim copiae terrestres, una cum Conone Caunum transgressae, quae hoc tempore extra urbem castra posuisse videntur, duce carpasio⁵⁾ quodam homine tumultuatae sunt, cum fama percrebusset remigibus modo et classiariis stipendium debitum solutum iri. Auxilio autem usus copiarum graecarum caricarumque duce Leonymo quodam, qui urbi Cauno⁶⁾ praepositus fuisse videtur, Conon coniuratos intra castra, extra urbem sita, coercet, hominem carpasium et sexaginta alios comprehendit, suppliciumque de iis sumit; Carpasius cruci affigitur.

¹⁾ Iter Cononis Sardes susceptum nusquam alibi nisi apud P memoratur; disceptari ergo nequit, utrum haec vere sint tradita an minus. Attamen verisimillimum mihi esse videtur, Cononem, cui imprimis pecunia opus esset, primum a Tithrauste eam adipisci conatum, tum demum ultima necessitate coactum ad regem ipsum iter fecisse.

²⁾ P col. XV, 32—39 et XVI, 16—27. ³⁾ cf. Ed. Meyer V § 865: „der Chiliarach Tithraustes war, nachdem er den Strategen besiegt „und die nöthigsten Massregeln für die Kriegsführung getroffen „hatte, alsbald an den Hof zurückgekehrt.” ⁴⁾ Hic tumultus pluribus verbis a P describitur (col. XVI, 29—XVIII, 33). At multa lacunae obscuraverunt, quibus papyrus his paginis scatet; inde narratio passim minus perspicua est. Praeterea a Justino (VI, 2, 11) memoratur, qui procul dubio ex P hausit, cf. pag. 70 ann. 5. ⁵⁾ Carpasia, urbs Cypri, prope Dinaretum promunturium sita. ⁶⁾ cf. col. XVIII, 5—9 et 13—15.

Quibus cognitis Cyprii, qui Rhodi restiterant, et ipsi tumultuari cooperunt. Statim Conon Rhodum transgressus seditionis principes capi percutique iubet, ceterisque stipendium solvendum curat. Itaque seditio illa compressa est „Cononis alacritate consilioque” ut approbans scribit P¹).

Ducenta viginti talenta a Tithrauste missa²), quibus stipendum multorum mensium³) solveretur, non modo classi fere centum triginta navium, sed etiam copiis terrestribus nequaquam suffecisse manifestum est⁴). Itaque auxilio minime efficaci allato non mirum est Cononem, multa acerba expertum perpetua ea pecuniae inopia⁵), tandem patientiam abrupisse, omnemque intercessionem cum satrapum tum aliorum aspernatum ad regem ipsum iter faciendi consilium cepisse. Quod autumno anni 395 exsecutus est; haud scio an hiems iam esse cooperit⁶).

1) P col. XVIII, 30: „τὸ μὲν οὖν βασιλικὸν στρατό(πεδον οὔτ)ως εἰς μέγαν κίνδυνον προελθὼν διὰ Κόιων(α καὶ) τὴν ἐπείγουν προθυμίαν ἐπαύσατο τῆς ταραχῆς.” 2) P col. XVI, 22. 3] cf. pag. 70, ann. 4. 4) Si taxamus stipendum trium obolorum fuisse, cotidie unicuique navi sescentis obolis i. e. mina una [cf. Xen. Hell. I, 5, 5.], in unum mensem igitur triginta minis opus fuisse constat. Centum triginta navibus in unum mensem 3900 minis i. e. 65 talentis opus fuit. Itaque 220 talenta ea ne per quattuor quidem menses sufficerunt. Etiamsi numerus is 220 non plane rectus sit, tamen satis appetat illam summam multo minorem fuisse, quam ut stipendum multorum [quindecim] mensium ea solveretur. 5) sicut nuper Cauni factum erat. 6) Nepos (Con. 3) et Pausanias [III, 9, 2] iter Cononis hiemi anni 396/5 assignant atque existimant Tithraustem non antea in Asiam missum esse, quam Conon in aula iam versatus esset. Quibuscum faciunt Ed. Meyer V § 845 et Judeich 65 et 66. Sed Diodorus (XIV, 81, 4–6) rem hiemi a. 395/4 attribuit, post pugnam ad Haliartum autumno a. 395 commissam, ergo sub finem a. 395. Iustinus (VI, 2, 12) Cononem iter fecisse arbitratur post militum seditionem, quam autumno a. 395 factam esse iam vidimus. Si auctoritate nisi licet ignoti hominis, cui P debemus, hoc modo res inter se subsecutae sunt: 1º Tissaphernis supplicium (col. VII, 4–VIII, 42), 2º seditio Rhodi facta (col. XI, 1–34), 3º Conon iter facit Sardes et Tithraustes ad regem revertitur (col. XV, 32–XVI, 29), 4º milites Cauni tumultuantur [col. XVI, 29–XVIII, 33]. Quibus omnibus confectis tunc demum Cononem Babylonem profectum esse patet, i. e.

Conon postquam in suum locum Hieronymum¹⁾ et Nicophemum²⁾ classi praefecit, in Ciliciam navigat, inde Thapsacum in urbem Syriae ad Euphratem sitam iter facit, postremo secundo flumine Babylonem devehitur³⁾. Quo advectus, non ipse cum rege Artaxerxe collocutus est. Nam Conon, civis atheniensis liber ac sibi confidens, more Persarum se ad regis pedes prostertere noluit⁴⁾.

autumno vel hieme ai 395. Diodorus igitur et Iustinus recte tradiderunt. Hiems quoque designatur a Diodoro (XIV, 81, 4), qui scripsit Artaxerxem eo tempore versatum esse Babylone. Ibi enim hieme habitare solebat. Denique verbis Nepotis (Con. 4, 2): „classemque, qua proxima aestate mare tueri posset, comparant,” hiems indicatur. Judeich [67, ann.] de his duabus rebus, quae sententiae suae [sc. Cononem aestate in aula versatum esse] obloquuntur, quid censeat incertus est. Praeterea conferantur, quae Grenfell-Hunt (Ox. Pap. V pag. 219, ann. ad VII, 4 et pag. 220) annotaverunt: „Diodorus' date for Conon's mission is „therefore preferable, as Ed. Meyer now admits; the motive was not the „removal of Tissaphernes, but, as Diodorus says, the need of money for „the fleet and the appointment of Pharnabazus as commander-in-chief.”

1) Kirchner, Prosop. Att. n°. 7552. 2) Diodorus (XIV, 81, 4) minus recte scripsit: „Νικόθεμος”; cf. Kirchner no. 11066. 3) Diod. XIV, 81, 4. 4) Apud Iustinum [VI, 2, 13] non nisi haec leguntur: „a [regis] aspectu et colloquio prohibitus est, quod eum more Persarum adorare noluit,” neque causam affert scriptor, cur Conon id facere noluerit. Neque opus est. Num alia causa fuisse potest, nisi haec: Cononem nimia confidentia fuisse, quam ut hominem quandam adoraret? Nepos [Con. III, 3—4] tamen planius se rem perspicere ratus, dum laude maiore Cononem ornare studet, parum succedit. Tithraustem enim inducit cum Conone antea sic loquentem: „delibera, utrum colloqui malis an per litteras agere. necesse est enim, si in conspectum veneris, venerari te regem, quod προσκυνεῖ illi vocant. hoc si tibi grave est, per me conficies quod studies.” Tithraustum igitur intellexisse patet, ab hominis graeci dignitate abhorrente illam adorationem. Attamen Conon aulicorum more subridens respondet: „mihi vero non est grave quemvis honorem habere regi, sed vereor, ne civitati meae sit opprobrio, si potius barbarorum quam illius more fungor.” Si haec vera sunt, Conon homo fuit dignus qui in aulis principum versaretur, quod minime quadrat cum iis, quae ceteroquin de duce maritimo gravi et sincero comperta habemus. Sed Nepos auctor est, quem parum certum esse omnes novimus, neque iniuria igitur hoc quoque loco de fide eius dubitamus, Judeichii (66 ann.) monitis neglectis.

Ergo per alios cum Artaxerxe ei agendum erat¹⁾. Ne potem²⁾ si audimus, Tithraustes, proximo autumno e Sardibus redux³⁾, interpres ei fuit. Ita Conon cum rege queritur de perpetua pecuniae inopia, benignoque assensu ab eo auditur. Magnis donis rex eum munerat, propriumque magistratum constituit, qui in posterum stipendium copiarum Cononi exsolvat⁴⁾. Insuper ei concedit, ut ipse Persam quendam eligat, qui secum rebus bellicis praesit. Conon Pharnabazum eligit⁵⁾. Quod eo consilio factum esse videtur, ut Pharnabazo utrumque munus mandaretur⁶⁾. Itaque omnia, quae concupiverat, assecutus ad mare revertit⁷⁾, initio anni 394 ut videtur.

Quid interea de bello factum erat?

Aestate anni 395 Agesilaus et Tithraustes indutias fecerant in sex menses⁸⁾, i.e. usque ad vernum tempus anni 394. Verisimile est eas indutias ad bellum maritimum quoque pertinuisse. Unde nemini mirum videbitur per id tempus nihil de classium motibus audiri.

Postquam aestate praecipiti Agesilao summa imperii maritimi tradita est, ei concessum erat ex libidine nauarchum aliquem constituere. Pisandrum, fratrem uxoris suae, creaverat.⁹⁾ Autumno anni 395 proelium ad Haliartum commissum, Lacedaemoniis causa et principium fuerat fere totam partem mediam Graeciae amittendi¹⁰⁾. Quam ob rem vere anni 394 Agesilaus ex Asia revocatus est, qui mense Iunio Hellespontum transiit¹¹⁾. Mense Quintili pugna

¹⁾ Iust. VI, 2, 14. ²⁾ Nepos, Con. III, 2—4. ³⁾ cf. pag. 71 et 72 ann. 6. ⁴⁾ Diod. XIV, 81, 6: „συνέστησε ταμίαν τὸν χορηγόσον, τα χρημάτων πλῆθος ὅσον προστάττῃ Κύων.” Iust. VI, 2, 15: „Postulat dari sibi ministrum impensae, quia pluribus id mandare perniciosum est.” Nepos, Con. IV, 1: „(rex ei permisit) quem vellet eligere ad dispensandam pecuniam.” ⁵⁾ Diod. XIV, 81, 6; Nepos, Con. IV, 2. ⁶⁾ cf. Nepos, Con. IV, 2 et 3. ⁷⁾ Diod. I. I.; Iust. VI, 2, 16. ⁸⁾ Diodorus [XIV, 80, 8] tradit: „in sex menses,” Isocrates (IV, 153): „in octo menses”, cf. Xen. Hell. III, 4, 25 et 26; Xen. Ages. IV, 6. ⁹⁾ Xen. Hell. III, 4, 27 sqq., cf. Just. VI, 3. 1; Plut. Ages. 10, 6. ¹⁰⁾ Ed. Meyer V § 855. ¹¹⁾ Ed. Meyer V § 846 et 856.

ad Nemeam rivulum¹⁾, denique mense Sextili pugna ad Coroneam²⁾ factae sunt.

Agesilaus igitur uxoris fratrem Pisandrum fecerat nauarchum in annum 395/4³⁾, de quo Xenophon [Hell. III, 4, 29] sic scribit: „Φιλότιμον μὲν καὶ ἐρρωμένον τὴν ψυχὴν, ἀπειρότερον δὲ τοῦ παρασκευάζεσθαι ὡς δεῖ”⁴⁾. Pisander per totum ver atque aestatem anni 394 nihil egisse videtur. Conon, qui initio anni 394 ad classem redierat, et ipse otiosus fuit⁵⁾. Interea Pharnabazus quoque ad classem pervenerat. Itaque classes per totam aestatem prope Rhodum insulam sibi oppositae erant, usque ad mensem Sextilem. Eo tempore Pisander ad Cnidum, Conon et Pharnabazus prope Loryma, urbiculam in Chersoneso rhodica sitam⁶⁾, cum classibus suis stabant.

Initio mensis Sextilis, paucis diebus ante decimum quartum⁷⁾, tandem pugna decertatum est. Perincommode autem

1) Ed. Meyer V § 857. 2) ib. § 858. 3) P auctore [col. XV, 33 et XXI, 26] nauarcho Iaconico Pollidi Chiricrates successit, qui ipse mox Pisandro mutatus est, cf. Grenfell-Hunt Ox. Pap. V, ad P col. III, 21, 23—26 et XV, 33. Quo tempore anni 395 Pisander magistratum suum inierit, parvi interest, nam, quoquo modo res ea se habet, aº 394 demum res suas gessit. 4) cf. Plut. Ages. 10. 5) Judeich (Kl. As. Stud. 73) Iustinum (VI, 2, 16) his verbis: „agros hostiles vastat, urbes expugnat” etc. agros urbesque in Asia sita significasse censem. Idem facit Ruehl, in editione Iustini, quam curavit, qui ante paragraphum 17am quaedam deesse conicit. Neque Judeichii neque Ruehlī sententia mihi arridet, sed Iustinum negligentia perductum ea, quae hoc loco narrat, et ea, quae cap. V, 6—8 narravit, permiscuisse coniecerim. Veram causam, propter quam Agesilaus revocatus est, Iustinus ignorat, ideoque quandam ipse finxit (cap. IV, 9 Agesilaus, eo auctore scilicet, iterum revocatur!) 6) Diod. XIV, 83, 4. 7) Nam Xenophon (Hell. IV, 3, 10) tradidit, eodem tempore, quo Agesilaus Boeotiam ingressurus esset, solem parte sui delitusse (ὁ ἥλιος μηνοειδῆς ἔδοξε Φανῆναι), eumque comperisse Pisandrum ad Cnidum profligatum atque occisum esse. Ea autem solis defectio, sicut postea computatum est, die 14º mensis Sextilis facta est, neque sane nuntio Cnido in Boeotiam iter facienti amplius triduo vel quadriduo opus fuit. Insuper conferatur Lysias in orat. XIX, 29: „ἐγένετο δὲ ἡ ναυμαχία ἐπ' Εύβοϊλου ἀρχοντος.”

accidit, quod de tanta pugna e nuntiis, qui nobis praesto sunt¹⁾, parum luculente perspicimus, quem ad modum commissa sit. Quae adhuc ex iis, quae Xenophon et Diodorus tradiderunt, effici possunt, haec sunt: Pisander Cnido in altum provehitur, Persae Lorymis. Classes²⁾

1) Xen. Hell. IV, 3, 11, 12; Diod. XIV, 83, 4—7; Just. VI, 3, 1—11; Nepos, Con. IV, 4; Polyaen. I, 48, 5. Ea, quae Iustinus ac Nepos tradiderunt, nullius momenti sunt. Ipsos singula nescivisse manifestum est; sin minus, disertis verbis ea memorare non praetermissent, praesertim Justinus, qui, cum nihil aliud tradere possit, evagatur de iis, quae Conon et Pisander secum animo volvisse ei videntur. Polyaenus narratiunculam profert ad hanc pugnam pertinenter, satis iejunam. Restant Xenophon et Diodorus. Xenophon rerum maritimarum semper incuriosus, praeterea studio perductus Spartanorum cladem obscurandi, pauca obiter narrat, quae ex Lace-daemoniis de pugna cognovit; itaque non eam auctoritatem habet, quam alioquin habere solet. Diodori narratio perplexa et turbata est. Praeterea pugna ad Cnidum facta memoratur ab Andocide III, 22, Demosthene XX, 68, Isocrate IV, 142, Platone Menex. 245 A.

2) Numerus navium utriusque classis plane incertus est. Ed. Meyer V § 845 ann. scribit: „Hier ist Klarheit nicht zu gewinnen.” Primum classem Cononis intueamur. Autumno anni 396 Cononi 130 naves erant [cf. supra pag. 67 et ann.] In portu Rhodiorum classis frumentaria ex Aegypto advecta ei in manus inciderat, quam maximam quidem partem navium oneriarum fuisse constat, sed fortasse aliquot triremes ei praesidio affuerunt. Diodorus (XIV, 83, 4) tradit classem persicam numero naves nonaginta excessisse; Xenophon (Hell. IV, 3, 12): Cononi uni [i. e. priori classiculae] multo plures naves fuisse quam Pisandro. Unde conicere licet classem persicam, quae autumno anni 396 iam 130 navium fuerat, per duos annos, qui interlapsi sunt, a Conone magnopere auctam esse.

Pharacidas Cononem obsidione clausit Cauni vere anni 396 (cf. pag. 64 ann. 7) 100 vel 120 navibus. Xenophonte (Hell. III, 4, 28) auctore Agesilaus urbes in insulis atque in litore sitas naves instruere iussit „καὶ ἐγένοντο καταβαῖ εἰς εἴκοσι καὶ ἑκατόν.” Eduardo Meyer (V § 845, ann.) assentior, verbis eis „εἰς εἴκοσι καὶ ἑκατόν” summam omnium navium instructarum significari, itaque totam classem laconicam 120 navium fuisse. Ea, quae Diodorus tradidit XIV, 79, 4 (120 naves) et XIV, 83, 5 (85 naves), inter se discrepant, etiamsi arbitremur 30 eas naves, quibuscum Pharax in Siciliam vectus est, (Diod. XIV, 63, 4) ex 120 eis sumptas esse. Praeterea P (col. XXI, 26) auctor est Pancolum quendam, Chiricratis legatum, cum 5

congreguntur prope Cnidum, ad orientem¹⁾. Classis persica ita constituta erat, ut ex duabus classiculis constaret. Classiculae priori, quae navium graecarum erat cum graecis militibus²⁾, Conon praerat. Posterior, duce Pharnabazo, navium poenarum erat, inter quas haud scio an eae naves fuerint, quas Euagoras contulerat³⁾.

Pisander primum cum Cononis classicula manus confert⁴⁾, sed postquam Pharnabazus cum posteriore classis parte ad proelium accessit, Pisandri socii sinistrum cornu tenentes, quod ad continentem vergebant⁵⁾, in litus terga vertunt. Pisander ipse strenue hostium impetum sustinet, attamen

triremibus ad Hellespontum fuisse autumno aī 395. Iis quoque de summa deductis, restant 120—30—5 = 85, qui idem est numerus, quem Diodorus (XIV, 83, 5) postremo proponit. At qua tandem ratione cum Diodori narratione convenit, quod Agesilaus Xenophonte familiari eius auctore classem 120 navium instruendam curaverit? Fieri non posse mihi videtur, ut de hac re, quid verum sit, cognoscamus. In numeris, quos Xenophon [Hell. IV, 3, 11—12] tradit, considerandis, reputandum est Xenophontem eos a laconicis auctoribus de laconica classe cognovisse. Et Thucydides [V, 68, 2] iam questus est: „ἀριθμὸν δὲ γράψαι . . . οὐκ ἀν δυναίμην ἀκριβῶς. τὸ μὲν γέρ „Λακεδαιμονίων πλῆθος διὰ τῆς πολιτείας τὸ κρυπτὸν ήγνοεῖτο”. Deinde omnes novimus fidem Diodori [Ephorii] in numeris tradendis fere nullam esse. Denique rem in incerto manere confitendum est.

¹⁾ cf. Judeich, Kl. As. Stud. 74, ann. 1. ²⁾ Xen. Hell. IV, 3, 11: „Κένωνα δὲ τὸ Ἑλληνικὸν ἔχοντα τετάχθαι ἐμπροσθεν αὐτοῦ (sc. Φαρναβάζου).” Verisimile est eo „Ἑλληνικῷ” etiam contineri octo naves, quibuscum Conon Aegospotamis aufugerat [cf. M. Schmidt, Konon 46 et Judeich 74 ann.], deinde navem Demaeneti (P col. I, 1—25; II, 35—40; III, 1—5], denique tot naves [quae ab Euagora oblatae esse mihi videntur, Isocrat. IX, 56 et 58], quot opus erat omnibus exsilibus atheniensibus militibusque voluntariis, qui cum Conone erant [cf. pag. 66 et Plato, Menex. 245 A]. Xenophonti, tradenti [IV, 3, 12] id agmen primum Cononis solum iam multo plurium navium fuisse tota classe Pisandri, fides hoc loco non habenda esse videtur. ³⁾ cf. Isocr. IX, 56 et 58. ⁴⁾ Xen. Hell. IV, 3, 12; Diod. XIV, 83, 6: „ταῖς μὲν προπλεούσαις ναυσὶ συμβαλῶν.”

⁵⁾ Xen. Hell. IV, 3, 12; Diod. XIV, 83, 6.

postremo viribus hostium succumbens in litus propellitur,
ubi Spartiarum prisco more fortiter pugnans occidit.

Spartani victi sunt. Magna pars ¹⁾ navium capta in
Cononis manus venit; reliquae Cnidum effugiunt. Etiam e
navibus demersis multi ²⁾ effugiunt Cnidumque perveniunt
terrestri itinere.

1) Diodorus tradit: „quinquaginta.” 2) Diodorus: „quingenti.”

C A P U T V.

Exitus pugnae apud Cnidum factae omnium opinionem
fefellit, imprimis Lacedaemoniorum, quibus tunc ad totius
Graeciae imperium recuperandum via patere visa erat.
Maculam cladis haliartensis deleverant pugnae apud Nemeam
rivulum et ad Coroneam commissae, quibus quamquam socii
non prorsus devicti erant, tamen Lacedaemonios solos
cuivis graecarum civitatum societati adhuc pares esse
apparuerat. Tunc vero bona spes, quam in posterum habu-
erant, hac una calamitate plane sublata est. Neque tantum
ipsa clade res mutatae sunt, quantum iis, quae post cladem
acciderunt. Tunc enim quam maxime patuit Lysandri
rationem regendi, qua harmostas et praesidia in omnibus
Asiae insulis atque urbibus collocaverat, nihil aliud peperisse
nisi timorem odiumque. Ut primum clades cnidia metum
molestae dominationis abstulit, odium acerbum in Lace-
daemonios ubique exsurgit, omnesque iugum servile excutere
properant ¹⁾.

Quid res posceret, Conon optime perspexit. Pharnabazo
persuasit ad defectionem, quae subito ubique eruperat,
augendam et confirmandam nihil esse efficacius quam
nomen illud libertatis atque *αὐτονομίας*, quod quasi carmen
magicum omnium Graecorum animos conciliare et devincire
soleret. Pharnabazus prudentior erat, quam ut Cononis
consilium neglegeret ²⁾. Una cum Conone insulas et urbes

¹⁾ Diod. XIV, 84, 4: „τοιαύτη δὲ τῆς μεταστάσεως σπουδή τις εἰς
τὰς πόλεις ἐνέπεσεν.” ²⁾ Xen. Hell. IV. 8. 2.

maritimas circumvectus, ubique pollicetur se nulla in urbibus praesidia positurum easque suis legibus usuras esse. Quo facto civitates maximo gaudio eos excipiunt summisque laudibus efferunt. Pharnabazo dona dantur¹⁾. Samii Ephesiique Cononi liberatori statuas constituunt²⁾. Erythraei etiam amplius procedunt. Non modo Cononem statua honorant ex aere inaurato facta, sed nomine εὐεργέτου Ἐρυθραιῶν καὶ προξένου eum ornant, προεδρίαν erythraeam et ἀτέλειαν πάντων χρημάτων καὶ ἔσαγωγῆς καὶ πολέμου καὶ εἰρήνης ei tribuunt, ipsum et posteros civitate donant³⁾. Totum iter Pharnabazo et Cononi triumphi instar est. Ubiique assequuntur id, quod volunt: ἀρμοστατα laconici cum praesi-diis suis eiciuntur⁴⁾. Tanto studio⁵⁾ ab invisis dominis ubique deficitur (Diodorus⁶⁾ nominatim affert Coos, Nisyrios, Teios, Chios⁷⁾, Mytilenaeos⁸⁾, Ephesios⁹⁾, Erythraeos) ut mox Lacedaemonii toto imperio maritimo orbati sint.

Quod primam Pharnabazi Cononisque adhortationem universa defectio tam prompta secuta est, inde vel maxime intellegi potest, et quanto odio fuerint Lacedaemonii, et quanta celeritate in contrarium abierit timor, quem antea inciebant. Potentia, quam in maribus asiaticis obtinuerant, prorsus fracta est, et classis evanuit¹⁰⁾. Rursus Persae, ut ante annum 480¹¹⁾, mare tenebant. Urbes quaedam parvulae, sicut Temnus et Aegae, quae in media terra sitae erant, non defecerunt¹²⁾. Aliquanto maioris erat momenti, quod Abydus et Sestus fidem Lacedaemoniis servabant.

Quo tempore ad Cnidum proelio decertabatur, Abydi in urbe versabatur Dercylidas, qui usque ad Amphipolim Agesilao obviam progressus, ut ei victoriam ad Nemeam

¹⁾ Hell. IV. 8. 2. ²⁾ Paus. VI, 3, 16. ³⁾ DS2 no. 65 [Hicks Man. Gr. Inscr. 70]. ⁴⁾ Etiam ex urbibus in Europa sitis: Xen. IV, 8, 5. ⁵⁾ Diod. XIV, 84, 4. ⁶⁾ XIV, 84, 3. ⁷⁾ cf. Diod. XIV, 94, 4. ⁸⁾ cf. Diod. XIV, 94, 3: „ἀφειστήκεισαν γὰρ πᾶσαι (sc. πόλεις κατὰ τὴν Λέσβον) πλὴν Μυτιλήνης”, cf. Xen. IV, 8. 28. ⁹⁾ cf. Xen. IV. 8. 3, ubi tradit Pharnabazum ad Ephesum appulsum esse, unde patet Ephesios a Lacedaemoniis iam defecisse. ¹⁰⁾ cf. Dem. XX, 69. ¹¹⁾ cf. Ed. Meyer V § 860. ¹²⁾ Xen. IV. 8. 5.

rivulum reportatam nuntiaret, deinde ab Agesilao in Asiam missus erat¹⁾). Post pugnam cnidiam Dercylidas non fugae se dedit, sicut ceteri ἀρμοσται, sed Abydum urbem Lacedaemoniis servavit, civibusque persuasit, ut ἀρμοστας ex aliis urbibus expulsos hospitio exciperent. Inde Sestum transvectus, postquam ibi quoque Lacedaemoniorum multitudinem circum se collegit, in urbe munitissima tutum se iam esse confidebat²⁾. Itaque duae urbes gravissimae, Sestus et Abydus, quae Hellesponto imminebant, Dercylidae in manibus erant. Quam ob rem Pharnabazo, cui insuper privatae cum Dercylida inimicitiae erant³⁾, primum ad Hellespontum proficiisci visum est. Ephesi e nave escendit Cononemque cum quadraginta navibus⁴⁾ Sestum navigare iussit, ubi rursus convenienter. Ipse itinere terrestri ad praefecturam suam⁵⁾ contendit. Ubi cum comperisset Abydenos et Sestios non adduci posse ut Lacedaemonios ex urbibus suis eicerent, Cononem utramque urbem classe obsidere iussit, ipse Abydenorum agros populatus est. Quare facienda cum nihil profecisset, Dascylium in regiam suam profectus est, Cononique mandavit ut in urbibus ad Hellespontum sitis quam maximam posset classem in ver proximum instrueret. Dum parantur ea, quae usui erant ad magnam illam expeditionem, quam Pharnabazus in Graeciam suscepturus erat, ut Lacedaemonios ulcisceretur, hiems praeteriit⁶⁾. Iram Pharnabazi in Lacedaemonios et consilium belli in ipsorum patriam transferendi Cononi gravissima fuisse, quis miretur? Procul dubio nihil praetermisit quin id consilium Pharnabazo quam maxime confirmaret.

Vere anni 393 Conon et Pharnabazus expeditionem in Graeciam suscepserunt cum magna classe, additis etiam copiis mercennariis recens conductis⁷⁾.

¹⁾ Ed. Meyer V § 858. ²⁾ Xen. IV, 8, 3—5. ³⁾ Xen. IV, 8, 3, cf. III, 1, 9. ⁴⁾ Reliqua pars classis Ephesi remansisse videtur usque ad vernum tempus anni proximi, cf. pag. 82. ⁵⁾ Xen. IV, 8, 3. ⁶⁾ Xen. IV, 8, 6, cf. Diod. XIV, 84, 4. ⁷⁾ Xen. IV, 8, 7: *υχῆς πολλάξ*; Diod. XIV, 84, 4: *παντὶ τῷ στόλῳ*. Numerus igitur navium non indicatur. Diodorus XIV, 85, 2 tradidit Cononem cum octoginta navibus Piraeum intrasse.

Verisimile est Cononem ab Hellesponto Ephesum primum navigasse, ubi eam classis partem, quae autumno superiore ibi relicta erat¹⁾, sibi adiungeret, simulque Pharnabazum exercitumque ab illo conductum in naves imponeret²⁾. Dum ab Hellesponto Ephesum vela dirigit, Imbrios, Lemnios, Scyrios ad defectionem impulisse videtur³⁾. Deinde una cum Pharnabazo Cycladas pererrans, quae et ipsae minime repugnantes ad eorum partes accedunt⁴⁾, Melum in insulam advenit. Inde in Peloponnesum transvecti ad Pheras⁵⁾, Messeniae urbem, naves appellunt agrosque populantur. Aliis quoque locis, ubicumque occasio datur, populiandi causa in terram egrediuntur. Mox tamen incursionibus⁶⁾ sibi parum profici posse intellexerunt. Nam ora laconica saxosa et vix habitata portibus omnino carebat; accederat perpetuus timor, ne copiae laconicae subito adessent, et frumentatio perdifficilis. Quam ob rem post breve tempus reversi⁷⁾ ancoras iecerunt Phoenicunte in urbe insulae Cytherorum. Cives metu perculti, ne urbs vi oppugnaretur (moenia enim vetustate dilapsa oppugnationique imparia fuisse videntur) de defensione ne cogitarunt quidem, sed libenter pacti sunt ut sibi incolubus in Laconicam abire liceret. Conon et Pharnabazus moenibus restitutis et praesidio in urbe collocato ipsi cum classe in Isthmum profecti sunt⁸⁾.

¹⁾ cf. pag. 81 ann. 4. ²⁾ Id cursus quoque indicat, quem et Diodoro et Xenophonte auctoribus classis tenuit. Diod. XIV, 84, 4: „τὰς Κυκλαδας νῆσους προσαγαγόμενοι κατέπλευσαν ἐπὶ Κύθηρα τὴν νῆσον.” Xen. IV, 8, 7: „ἐπλευσεν δὲ Φαρνάβαζος τε καὶ δὲ Κόνων μετ’ αὐτοῦ διὰ νῆσων εἰς Μῆλον,” quo loco verbis διὰ νῆσων procul dubio Sporades Cycladesque insulae designantur. Quod ad verba διὰ νῆσων sine articulo posita cf. VI, 2, 12; Herod. III, 96, 122, VI, 95, a. l. ³⁾ Xen. IV, 8, 15, cf. Beloch Att. Pol. 345. ⁴⁾ Diod. XIV, 84, 4. ⁵⁾ Nepos (Con. 1) tradit Cononem Pheras urbem cepisse quo tempore primum rebus publicis operam dare coepisset, i. e. ante pugnam ad Aegospotamos factam! ⁶⁾ cf. Plut. Ages. 23. ⁷⁾ Xen. IV, 8, 7; Diod. XIV, 84, 4; cf. Iust. VI, 5, 6—7; Isocr. IV, 119, cf. IX, 68; Lys. XIX, 12. ⁸⁾ Xen. IV, 8, 8 et Diod. XIV, 84, 5.

Praesidio ei praepositus est¹⁾ Nicophemus²⁾, Cononis familiaris, procul dubio Conone ipso auctore; milites quoque praesidiarios Athenienses fuisse verisimile est. Hic iam aliquatenus patefieri videmus, quod mox luce clarius apparebit, quid re vera Conon agendum sibi proposuerit, ut Atheniensibus, non Persis, imperium maritimum compararet.

Ad Isthmum appulsi cum τοῖς συνεδροῖς colloquuntur, qui ex iis civitatibus, quae contra Lacedaemonios se coniunixerant, Corinthum ad deliberandum erant missi. Quos, postquam societatem cum iis iniit, vehementer Pharnabazus admonet, ut bellum cum Lacedaemoniis acriter gerant fidosque se regi praebeant. Tum, pecunia iis tradita³⁾, in praefecturam suam revertitur⁴⁾.

Conon hoc ipso tempore sibi fortiter agendum esse intellexit. Nam, si Pharnabazus cum tota classe persica in Asiam redisset, nullam sibi in proximum tempus facultatem superfuturam videbat efficiendi ea, quae pro patria sua dilectissima in animo agitabat. Lacedaemoniorum copiae navales deletae erant; dummodo regia classis hoc tempore Cononi suppeteret, mare tenere et Atheniensium imperium maritimum restituere poterat. Pharnabazo igitur persuadere conatur, ut sibi classem tradat, quacum Athenas proficiatur; ea, quae ad victum necessaria sint, se non dubitare, quin ex insulis facile sit accepturus. Tum se muros longos et moenia Piraei restituturum esse, quo facto Pharnabazum duo gravissima consecuturum, nam sic et Lacedaemoniis, quaecumque iam consecuti essent, irrita fore, et Athenienses perpetuo beneficio obstrictos illum habiturum.

¹⁾ Xenophon verbo laconico ἀρμοστὴν eum dicit, quo nomine tamen non eos solos duces appellat, quos Lacedaemonii urbibus praeficiebant, cf. VII, 1, 43; 3, 4; 3, 9 (de duce a Thebanis constituto), Anab. V, 5, 19. ²⁾ De quo cf. Kirchner, Prosop. Att. no. 11066; Lys. XIX; praeterea huius libelli cap. II, pag. 30 ann. 2 et cap. IV, pag. 69. ³⁾ Qua copias conduxerunt classemque instruxerunt: Xen. IV, 4, 14 et 8, 10. ⁴⁾ Xen. IV, 8, 8; Diod. XIV, 84, 5. Diodorus Cononem et ipsum una cum Pharnabazo in Asiam redisse tradit.

Pharnabazus consilio Cononis obsequendum ratus permisit, ut ille cum classe Piraeum navigaret; pecuniam, quam moenia reficeret, ultro dedit¹⁾; ipse Dascylum revertit²⁾.

Sic iam aderat Cononi dies ille exspectatus, quo tandem in patriam carissimam redire ei licebat. Rediit autem non ut dux profligatus, non ut exsul summisse veniam orans;rediit victor fortissimae classi praefectus, qua Athenis suis libertatem, quin etiam principem locum apud Graecos redintegraret. Classem illam esse persicam, pecuniam persicam, Cononem re vera ducem persicum, Athenienses exsultantes tunc minime reputabant, immo reputare nolebant. Hoc unum videbant, ob hoc unum gaudio triumphabant: tempora illa praeterisse, quibus humiliter pristinae superbiae poenas luebant, illuxisse aetatem novae gloriae, potentiae, prosperitatis. Nonne habebant cur eum virum, qui haec omnia effecerat, tamquam patrem patriae summis laudibus celebrarent?

Ineunte aestate anni 393³⁾ Conon cum classe magna⁴⁾ Piraeum invehitur. Facile ante oculos nobis proponimus, quanto clamore et plausu Piraeus resonaverit, quanta laetitia cives liberatorem suum quasi manibus gestaverint, quomodo introitus eius in urbem triumphi instar fuerit. Cum vero Cononem ad propositum suum aggressum mox vidissent, cum moenia spectarent libertatis suaे propugnacula denuo exsurgentia, tum omnibus honoribus eum obruerunt. Euagoras quoque, Cononis familiaris, qui tanto studio in omnibus rebus ei affuerat, honorum eorum particeps fuit. Statuae Cononis et Euagorae positae sunt prope τὴν στοὰν βασιλείου ἐν Κεραμεικῷ, iuxta Διὸς Σώτυρος simulacrum⁵⁾, qui honor ante Cononem

¹⁾ Nepos, Con. IV, 5: „quinquaginta talenta”; cf. Diod. XIV, 85, 2.

²⁾ Xen. IV, 8, 9. ³⁾ Mense Maio vel Iunio, ut videtur, Eubulide etiamtum archonte, cf. IG II, 830; Beloch, Att. Pol. 350. ⁴⁾ Diod. XIV, 85, 2 tradidit classem eam octoginta navium fuisse. ⁵⁾ Paus. I, 3, 2; Isocr. IX, 57; Dem. XX, 70: „χαλιῆν εἰκόνα”; Nepos, Timoth. II, 3. In acropoli quoque statuae erant Cononis Timotheique filii eius, quae inter aedem Minervae et Erechtheum fuisse videntur. Quo anno autem positae sint, ignoratur, cf. IG II, 1360 (DS^a 85); Paus. I, 24, 3.

nemini nisi Harmodio et Aristogitoni tributus erat¹⁾. Res gestae Cononis in tabula incisae sunt²⁾. Complura ψυφίσματα eius ornandi causa facta sunt, quorum uno ἀτέλειᾳ³⁾ ei data est. Corona aurea ei oblata est, in qua haec inscripta erant: „Κόνων ἀπὸ τῆς γαυραχίας τῆς πρὸς Λακεδαιμονίους”⁴⁾. Euagoras publice laudatus est coronatusque „ἀρέτῇς ἐνεκεν τῆς ἐς Ἀθηναῖος”, ipsique et posteris civitas atheniensis tributa⁵⁾.

Conon statim initium fecit moenium restituendorum. Iam mense Scirophorione anni 394, ergo iam ante pugnam ad Cnidum factam, Athenienses ipsi moenia reficere coeperant, sed tum nonnisi de muris qui Piraeum cingebant actum esse videtur⁶⁾. Conon primus cives hortatus est, ut muros longos inter Piraeum et urbem reaedificarent, effecitque ut id facere possent. Iure iis persuasit, tum demum, si illi muri starent, vere liberas fore Athenas locumque suum, fortasse primum, inter civitates graecas iterum occupaturas⁷⁾.

Milites suos nautasque in opere perficiendo civibus adesse iussit; ipse operis mercedem solvit, ceteras impensas omnes praestitit. Opus autem per phylas dividebatur⁸⁾. Ita factum est ut Athenienses, ultro adiuvantibus Boeotis, qui quin-

¹⁾ Dem. XX, 70. ²⁾ Dem. XX, 69. Verisimile est eodem pertinere titulum IG II. 10. ³⁾ Dem. XX, 70. ⁴⁾ Dem. XXII, 72, cf. XXIV, 180. ⁵⁾ Hicks¹ Man. Gr. Hist. Inscr. 72 (IG II pag. 397 no. 10^b). ⁶⁾ DS² 63. Lapis extractus ex reliquiis muri antiqui in paeninsula Eetionea, cf. Wachsmuth, die St. Athen II, 1. p. III no. 1: „ἐπὶ Διοφάντου ἀρχοντο(s) Σκιροφοριῶνος μῆνδος, ἐς τὰ κατ' ὑμέραν ἔργα· ζεύγεσι τοὺς λιθους ἄγουσι μισθός: Η [Δ]Δ. σιδηρίων μισθός: Διατ.” Ineunte opere Mercurii simulacrum positum est ad portulam quandam prope magnam portam Piraei, qua in urbem ibatur, cf. Harpoer. s. v. ‘Ἐρμῆς ὁ πρὸς τὴν πυλίδι et πρὸς τὴν πυλίδι ‘Ἐρμῆς. De utraque porta cf. Wachsmuth, die St. Ath. II, 1, 32—34. Ad eundem Mercurium spectare videtur titulus DS² 64: „Ἐπ’ Εύβουλίδου ἀρχοντο(s) ἀπὸ τοῦ σημείου ἀρξάμενον οὐτλ.” ⁷⁾ cf. Dem. XX, 68: „(Κόνων) ἀνέστησε τὰ τείχη, καὶ πρώτος πάλιν τῆς ὑγεμονίας ἐποίησε τὴν πόλει τὸν λόγον πρὸς Λακεδαιμονίους εἶναι.” ⁸⁾ cf. Wachsmuth, die St. Ath. II, 1, 34; Harpoer. s. v. ‘Ἐρμῆς ὁ πρὸς τὴν πυλίδι et πρὸς τὴν πυλίδι ‘Ἐρμῆς; IG II, 830—832.

gentos operas miserunt, aliisque, inter quos Argivi¹⁾ fuerunt, et murorum longorum²⁾ et Piraei moenium partem maiorem³⁾ brevi tempore redintegrarent⁴⁾. Mire profecto accidit, quod moenia instaurata sunt ipsis illis civitatibus faventibus ac strenue adiuvantibus, quae olim⁵⁾ isdem moenibus diruendis laetis vocibus acclamaverant.⁶⁾ Lacedaemonii moenium exstructionem impedire ne conari quidem poterant, quia terra marique itinere erant interclusi, nam et Isthmus munitus erat et maris imperium Conon tenebat et in sinu corinthio classis corinthia stabat nuper instructa⁷⁾.

His omnibus rebus postquam populi sui amorem gratumque animum sibi conciliavit, procul dubio gratiosior

¹⁾ Hoc docet titulus (IG II, 161, cf. Hermes V, 3 sqq) in quo Aristomachum Argivum quendam de patre haec proferentem legimus: „συν(ατ)έστησεν Ἀ(Θηναίοις) / λάστεις τὰ μακρὰ τείχη καὶ τὸ μ(Πειραιᾶ).”
²⁾ Murus phalericus non restitutus est. Is enim interea plane supervacaneus factus erat, cf. Wachsmuth, die St. Ath. I, 573 et 581, ann.
³⁾ Opus, dum Conon Athenis versatur, non perfecte absolutum esse videtur. Xenophon IV, 8, 10 tradidit: „πολὺ τοῦ τείχους ὠρθωτε (Κόρων);” Diodorus XIV, 85, 3: „τὸ πλεῖστον μέρος τοῦ τείχους ἀνωκοδόμητε,” cf. Xen. V, 4, 20 et 34. Cf. IG II 831—832, unde patet Philocle archonte (392/I), i. e. Conone iam in Asiam profecto, etiamtum murorum partem aedificatam esse.
⁴⁾ De muris a Conone restitutis cf. Xen. IV, 8, 10; Diod. XIV, 85; Iust. VI, 5, 9 (qui verbis „quae incensa fuerant” sine dubio eam partem murorum designat, quae a Lysandro deleta erat; verbis „quae diruta” eam, quae neglecta et vetustate collapsa erat); Nepos, Con. IV, 5; Diog. Laert. II, 39: „τῶν ὑπὸ Κόρωνος τείχων ἀνασταθέντων, ἡ γέγονεν ἔτεσιν ἐξ τῆς Σωκράτους τελευτῆς ὑστερον”; Plut. Ages. 23: „ἔτειχισθη δὲ καὶ τὸ ἄστυ τῶν Ἀθηναίων Φαρναβάζου χρήματα δόντος” (ipsius quoque urbis Athenarum moenia restituta esse neque ex his verbis, neque ex Nepotis Con. IV, 5 effici licere recte monuisse mihi videtur Wachsmuth, die St. Ath. I, 581); Paus. I, 2, 2; IG II, 830—832 et 830, c, d, e in suppl.; DS^a 64; Philochorus in FHG I 397 fr. 80 et 81; Wachsmuth, die St. Athen I, 579; II, 24 sqq. et 187 sqq.
⁵⁾ Xen. II, 2, 23; Plut. Lys. 15.
⁶⁾ cf. Just. VI, 5, 11.
⁷⁾ Xen. IV, 8, 10: „οἱ μέντοι Κορίνθιοι... ἐθαλαττοκράτουν ἐν τῷ περὶ Ἀχαίαν καὶ Λεξαίου κόλπῳ,” cf. huius capitinis pag. 83 ann. 3.

etiam factus est, cum hecatomben cecidit omnesque cives convivio exceptit¹⁾). Praeterea in Piraeo, prope mare, templum Veneris cnidiae aedificavit, ad memoriam victoriae suaee cnidiae conservandam²⁾.

Cononem eis rebus, quae civitatem domi in partes distrahebant, multum operaæ adhibuisse verisimile non est. Nam diurna peregrinatio a factionibus atheniensibus eum plane alienaverat, et postquam triumphans in urbem rediit, locum obtinebat partium studia dignitate et magnificentia praecurrentem. Inde, quamquam gloria Cononis Thrasyboli auctoritati offecit, illoque reverso populares denuo superiores facti sunt, tamen ipse Conon in republica regenda numquam dux ac princeps fuit³⁾). Brevius enim Athenis moratus est, quam ut id facere posset⁴⁾). Contra in rebus exteris administrandis totus occupatus fuisse videtur. Assidue operam dabat, ut id, quod petebat, consequeretur, ut Atheniensibus maris imperium restitueretur. Hanc ob rem mox cum classe sua Piraeo profectus, semper opibus regiis sustentatus⁵⁾, mare Aegaeum pervagatur imperiumque Atheniensium in insulis atque urbibus maritimis⁶⁾ confirmat et propagat. Lemnus, Imbrus, Scyrus⁷⁾ insulae denuo imperio tenentur; cum multis aliis civitatibus foedera flunt⁸⁾.

¹⁾ Athen. I p. 3 d. ²⁾ Paus. I. 1. 3. ³⁾ Talia Agyrrho aliisque facienda reliquit, cf. Beloch, Att. Pol. 119 et 120; Sievers 99 et 111. ⁴⁾ cf. Gilbert, Beiträge 392; Beloch, Att. Pol. 118 et 119. ⁵⁾ Xen. IV, 8, 12: „τὸ ναυτικὸν ἀπὸ τῶν ἐκείνου (= βασιλέως) τρέφων”. ⁶⁾ Xen. IV, 8, 12: „τὰς τε νῆσους καὶ τὰς ἐν τῇ ὥπειρῳ παρὰ Θάλατταν πόλεις.” Diod. XIV, 85, 4: „ὅτι ταῖς βασιλικαῖς δυνάμεσι τὰς πόλεις Ἀθηναῖοις κατακτᾶται.” Nepos, Con. V, 2: „ut Ioniam et Aeoliam restitueret Atheniensibus.” ⁷⁾ Xen. IV, 8, 15, ubi condiciones exposuit, de quibus Sardibus actum est, haec scribit: „οἵ τε γὰρ Ἀθηναῖοι ἐφοβοῦντο συνθέσθαι αὐτονόμους εἶναι τὰς πόλεις καὶ τὰς νῆσους, μὴ Λήμουν καὶ Ἰμβρουν καὶ Σκύρου στεργεῖσεν,” cf. Andoc. III, 12. ⁸⁾ DS* 69, unde patet praeter Coos Rhodiosque, qui iam ante Atheniensibus se adiunixerant (de Cois cf. Diod. XIV, 84, 3; Rhodii hieme anni 396/5 ad Athenienses transierant, cf. cap. IV pag. 68; cf. IG II, 9 et Xen. IV, 8, 20), Cnidios quoque et Carpathios cum Atheniensibus foedera coniunctos fuisse. Titulus IG II, 11 f (suppl. p. 7) idem docet de Iasiis.

Cononis opera factum esse videtur, ut Athenienses recuperarent *προστασίαν* templi deliaci, quam post captas Athenas insulae incolis ipsis reddiderant Lacedaemonii¹⁾, et ita Cycladum omnium principatum²⁾. Nescio an Conon idem auctor fuerit foederis illius, quod inter Athenienses Eretrientesque Eubulide archonte ictum est³⁾. Fortasse etiam bello terrestri, in quo Athenienses principum locum tunc obtinebant, se inmiscuit. Nam instruxisse dicitur⁴⁾ exercitum peltastarum, quocum postea Iphicrates in bello corinthiaco felicissime rem gessit⁵⁾. Verisimilius tamen mihi videtur, Cononem nihil nisi pecuniam dedisse⁶⁾, qua exercitus is conduceretur.

Ita Conon noster iam haud mediocriter processerat in ea via, qua se Atheniensibus antiquam potentiam restitutum confidebat. Sed longius etiam prospiciebat. Intellexit enim Persas celari per longum tempus non posse, quid re vera appeteret; tandem perspecturos, eum Atheniensium, non Persarum imperio operam dare. Facile tum fieri posse, ut Persae, eam fallaciam iuste indignati, cum Spartiatis rursus societatem inirent. Bellum autem cum Spartiatis, quibus Persae se adiunxissent, utique dubium fore, quamvis Athenienses a Boeotis et Argivis, ab Euagora, fortasse ab Aegyptiorum rege adiuvarentur. Alia igitur auxilia respienda erant, et quidem gratia quaerenda videbatur Dionysii, qui rebus Siciliae praeerat. Conon non ignorabat, maxime interesse utri parti se ille adiuncturus esset, eamque librae lancem, in qua gladium suum posuisset, propensuram videri.

¹⁾ DS^a 60. ²⁾ IG II 813^b suppl. p. 196, ubi Koehler adnotat: „Athenienses ante annum 389, quo anno Thrasybulus Stiriensis imperium maritimum restituebat, tutelam sacrorum Apollinis Deliacorum recuperasse concedendum est.“ Cf. Beloch, Att. Pol. 120, 344, 345. ³⁾ IG II 7^b suppl. p. 5. Foedus cum Phaselitis factum (DS.^a 72; IG II, 11) melius anno 388 assignari videtur, cf. Judeich, Kl. As. Stud. 98, ann. 1.

⁴⁾ Harpoer. s. v. ξενικὸν ἐν Κορίνθῳ: „τυνεστήσατο δ' αὐτὸ πρῶτον Κόνων, παρέλαβε δ' αὐτὸ 'Ιφικράτης ὑστερον καὶ Χαβρίας.“ ⁵⁾ Xen. IV, 4, 9. ⁶⁾ cf. Rehdantz, Vitae Iphicr. etc. p. 4; Lachmann, Gesch. Griech. I, 173.

Semper Dionysius Lacedaemoniorum socius ¹⁾ fuerat, sed initio anni 393 decretum τῆς βουλῆς, quo Dionysius cum Leptine et Theoride fratribus et cum uxoris fratre Polyxeno publice laudabatur ²⁾, viam patefecerat qua Atheniensibus favor regis conciliaretur. Eandem viam tunc ingressus, Conon legatos misit in Siciliam, qui Dionysio persuadere conarentur, ut societatem Lacedaemoniis renuntiaret et Atheniensibus se adiungeret, simulque Euagorae sororem in matrimonium ei offerrent ³⁾. Ita Conon duos reges graecos, quorum alter in Orienti, alter in Occidenti regnabat, affinitate devincire studebat, ut eodem foedere coniuncti Athenienses, Euagoras, Dionysius omnes Graecos imperio tenerent, Lacedaemoniorum potentiam delerent, Persasque impedirent, quominus quicquam proficerent ⁴⁾. Legatio ea ⁵⁾ nihil aliud impetravit, nisi ut Dionysius polliceretur se triremes, quas eo ipso tempore instrueret, Lacedaemoniis auxilio non missurum esse ⁶⁾.

Interea Lacedaemonii imperium maritimum omne iam amiserant. Etiam bellum terrestre circum Corinthum non nisi molliter languideque gerebatur ⁷⁾; dum utrumque maximam partem mercennariis utuntur, neutra pars satis prospere rem gessit. Spartiates autem non ignorantis socios, quamdiu pecunia regia sustentarentur, a se vinci non posse, omnes scrupulos ex animis evellere et ipsi quoque Persarum amicitiam petere statuerunt. Hanc ob

¹⁾ cf. Ed. Meyer V § 745 et 784. ²⁾ IG II, 8 (DS² 66: „ἐπ' Εὐβουλίδου ἀρχοντος, ἐπὶ τῆς Παυδιονίδος ἑκτῆς πρωτανεύσυσης”, igitur mense Januario vel Februario anni 393 i. e. nonnullis mensibus antequam Conon Athenas pervenit. ³⁾ Lys. XIX, 19 et 20. ⁴⁾ Ed. Meyer V § 862. ⁵⁾ Legati fuerunt Aristophanes, Nicophemi filius, Cononi familiaris [cf. cap. V pag. 83] et Eunomus [Kirchner, Prosop. Att. no. 5861]. Verba „μαζὶ Λασίου” in Lysiae or. XIX. 19 procul dubio mutanda sunt in Διονυσίου, cf. Frohberger ad l. et Proleg. § 11 ann. 17. ⁶⁾ Ed. Meyer V § 862: „Aber er [Dionysios] war zur Zeit in Folge des neuen Angriffs Mago's [§ 800] überhaupt nicht im Stande in Griechenland zu interveniren; so konnte er den Athenern die Unterlassung der Hülffsendung an Sparta als eine ihnen erwiesene Gefälligkeit hinstellen.” ⁷⁾ cf. Ed. Meyer V § 863 et 864.

rem hieme anni 393/2¹⁾ Sardes ad Tiribazum satrapam, qui Tissapherni successerat²⁾, Antalcidan miserunt, qui pacem a Persis impetrare conaretur. Antalcidas ibi praefecto regio exposuit, Cononem Persarum pecunia Athenarum moenia restituentem, classem suam alentem, insulas urbesque maritimis Atheniensibus adiungentem, minime id agere ut regis commodis serviret, sed nihil aliud spectare nisi patriae suae utilitatem. Venisse se autem, ut pacem Persis his legibus offerret, ut quaecumque in Asia essent Graecorum civitates, regi permitterentur, insulas vero ceterasque urbes Lacedaemonii liberas esse sinerent.

Sed socii et ipsi legatos Sardes miserunt, in quorum numero Conon noster fuit. Una cum eo profecti sunt Hermogenes, Dion, Callisthenes, Callimedon, quibus Thebanorum, Corinthiorum, Argivorum legati accesserunt. Antalcidae condiciones Tiribazo admodum placuerant, quas propterea etiam sociorum legatis proposuit. Ei tamen probe intellexerunt Lacedaemonios libertate illa insulis urbibusque concessa nihil aliud efficere velle nisi ut summum imperium ad se rediret. Athenienses autem Lemno, Imbro, Scyro insulis denuo privari nolebant; nec Thebani urbes boeotias in *αὐτονομίαν* restitui sinebant, neque Argivi Corinthios a se separari. Ita infecta re legati domum redierunt³⁾. Conon tamen unus non revertit; nam Tiribazus, priusquam ad regem iter suscepit, ut de conditionibus legatorum laconicorum responsum illius cognosceret, Cononem comprehensum in carcerem inclusit „ώς ἀδικοῦντά τε βασιλέα καὶ ἀλγῆ λεγόντων Λακεδαιμονίων”⁴⁾.

Non iniuria Tiribazus Antalcidae verbis fidem habuit secumque reputavit Cononem, a rege ipso classi persicae praepositum, regi (i.e. domino suo) non modo non prodesse, sed potius maximum detrimentum ei inferre. Neque magis culpandus est, quod virum regis imperio tam perniciosum

¹⁾ De temporum ratione horum annorum cf. Beloch, Att. Pol. 346—353. ²⁾ Xen. IV, 8, 12 sqq. ³⁾ Xen. IV, 8, 12—15. ⁴⁾ Xen. IV, 8, 16, cf. Diod. XIV, 85, 4 et XV, 43, 5; Isocr. IV, 154; Nepos Con. V, 3.

comprimere voluit, comprehendit, fortasse necaturus fuit¹⁾. Itaque, si hoc tantum Tiribazus spectavit, ut imperii saluti consuleret, omnino probandum est quod fecit; sin poenas a Conone repetere voluit, considerandum potius fuit, non Cononem Atheniensem puniendum esse, sed Pharnabazum Persam, Cononi praepositum, quo invito nihil ille fecisset. Omnium, quae facta erant, Pharnabazum solum reum esse oportebat. Sed Pharnabazus collega erat Tiribazi, pari potestate magistratum gerens. Verisimile est Tiribazum Conone comprehenso collegae suo negotium exhibere eumque regi suspectum reddere voluisse.

Quoquo modo res se habet, Conon in vinculis versabatur. Sic vitae eius curriculo finis repente impositus est, eo ipso tempore, quo prope consecutus esse videbatur quod per totam vitam vehementer expetiverat, ut Atheniensibus imperium instauraret. Opus in medio labore abruptum numquam deinde resumere potuit.

Non ita multo post, eodem anno 392, ei contigit, ut e carcere elaberetur²⁾. Iterum Cyprum in insulam confugit, ad Euagoram, cuius familiaritatem perspectam habebat. Is eo ipso tempore totam insulam in dicionem suam redigebat, bellumque cum Persis suscipere parabat³⁾. Incertum est, utrum in breve tantum tempus Cyprum venerit, quo Euagoran ad nova consilia impelleret et fortasse praedia sua, quae in ea insula sita erant⁴⁾, perlustraret, deinde mox Athenas reversurus, an Cypri in posterum habitare in animo habuerit, unde una cum Euagora bello cum Persis Lacedaemoniisque gerendo preeisset. Verisimile est Cononem Euagorae persuasisse, ut ab Atheniensibus auxilium contra Persas peteret. Nam cum satrapae Lydiae et Cariae

¹⁾ cf. Isocr. IV, 154: „ἐπὶ Θανάτῳ συλλαβεῖν”. ²⁾ Nepos Con. V, 4, quae confirmantur a Lysia in or. XIX, 39 et 41. Cononem effugisse verisimile est Tiribazo iam profecto, Struthaque eius successore nondum advecto, i. e. aestate anni 392, cf. Beloch, Att. Pol. 353; Judeich, Kl. As. Stud. 86, ann 2. ³⁾ cf. Ed. Meyer V § 870. ⁴⁾ Lys. XIX, 40: „ἀδελφιδῷ, δὲ ἐφύλαττεν αὐτῷ καὶ ἐταμίευε πάντα τὰ ἐν Κύπρῳ ...”

a° 390 Euagoram aggredi in animo haberent, ille Athenas legatos misit, qui auxilium inde requirerent. Quam legationem strenue sustentaverunt ei, qui Athenis Cononi erant familiares¹⁾, imprimis Aristophanes, quem etiam per litteras adhortabatur Nicophemus pater, qui Cypri remanserat²⁾). Cononis tamen hac in re nulla iam fit mentio. Brevi enim postquam Cyprum pervenit, mortuus esse videtur³⁾, fortasse iam a° 392 (vel a° 391). Aeger, sed etiamtum mentis plane compos, sua manu testamentum conscripsit⁴⁾. Quae testamento illo continerentur, nobis narravit Lysias in oratione XIX^a. Ad donaria Minervae et Apollini delphico dedicanda quinque milia staterum designavit; filio fratris sui, qui Cypri in insula dispensator ei fuerat, decem milia drachmarum ascripsit; fratri suo tria talenta dedit; reliqua septendecim talenta filio Timotheo legavit⁵⁾. Reliquit igitur quadraginta talenta⁶⁾. Corporis eius combusti cinis Athenas transvectus esse videtur; nam in via, qua ad Academiam itur, sepulcrum erat Cononis Timotheique filii⁷⁾.

De Cononis persona, si res gestas omittimus, pauca admodum innotuerunt. Habitus corporis parvus fuisse videtur⁸⁾. Praeterea novimus eum ditissimum fuisse; quia, ut supra vidimus, quadraginta talenta reliquit. Hae enim pro eis temporibus ingentes fortunae erant. Sic Timotheus, Cononis filius, septendecim talentum causa, quae hereditate acceperat, ditissimus iam habebatur⁹⁾, et temporibus belli peloponnesiaci fortunas amplius decem talentum raras

¹⁾ cf. Ed. Meyer V § 870; Lys. XIX, 21 et 27. ²⁾ Lys. XIX, 23, Aristophanes legatus quoque Cyprum profectus est. ³⁾ Lys. XIX, 39, cf. Ed. Meyer V § 870; Beloch I, 421. II, 204. ⁴⁾ Lys. XIX, 39–41: „αὐτὸς γάρ ἐν τῇ νῆσῳ ᾧ εὐ Φρονῶν διέθετο,” cf. Isaenus IV, 14 et VI, 9. ⁵⁾ cf. cap. IV pag. 59. ⁶⁾ Lys. XIX, 41, ubi numerum summatim comprehendit; revera legatorum summa est duodequadraginta talentum et tertiae partis.⁷⁾ cf. Paus. I, 29, 15, cf. I, 29, 4. ⁸⁾ Si modo locus in Dionys. Art. Rhet. III, 4 ad Cononem nostrum spectat. ⁹⁾ Dem. XXVII, 7: „ὅσουπερ Τιμόθεος ὁ Κόνωνος καὶ οἱ τὰ μέγιστα πεντηγμένοι τιμῆματ' εἰσέφερον,” cf. Beloch, Gr. Gesch. I, 421.

Athenis fuisse constat¹⁾. Verisimile est Cononem, ut qui vetere et nobili genere ortus esset²⁾, iam a maioribus suis magnam rem familiarem accepisse. Procul dubio per vitam casuum plenam id patrimonium magnopere auxit³⁾, imprimis Cypri in insula⁴⁾. Bona eius, quae Athenis erant, a Timotheo filio administrabantur⁵⁾. Magna domus in media urbe, cuius Athenaeus memor est⁶⁾, a Timotheo brevi post mortem patris aedificata esse videtur⁷⁾.

Postremo breviter ad ea respiciamus, quae iam his capitibus de ingenio Cononis reperta sunt. Quamquam inter clarissimos praetores navales principem locum non obtinet, neque vere summis viris adnumerandus esse videtur, tamen confitendum est, eum στρατηγὸν fuisse laude dignum deque patria sua bene meritum. Nihil umquam scriptores memoriae prodiderunt, in quo Cononem aut imperitia erravisse, aut inconsulte egisse, aut ignavia vel ferocia peccasse videamus. Contra prudentiae consiliique eius exempla pullulant. Ad Naupactum⁸⁾ classem corinthiam numero navium superiorem non aggreditur, antequam a Demosthene supplementa accepit. A° 406, cum septuaginta navibus fugiens, laconica classe centum quadraginta navium vestigia eius sequente, in ipso denique ostio portus mytilenae deprehensus, quod tamen quadraginta naves servavit, ex ceteris triginta plerosque homines manibus hostium eripuit⁹⁾, ea re vel maxime ostendit se ducem esse peritissimum. Quam facile subitus terror militum animos tunc invadere

¹⁾ Beloch I, 420. ²⁾] cf. cap. II pag. 23. ³⁾] cf. Lys. XIX, 35 et 36. ⁴⁾ Lys. XIX, 40. ⁵⁾] Lys. XIX, 36: „καὶ τὰ μὲν ἐνθάδε (sc. Athenis) τῷ ὑεῖ καταλιπεῖν” et „ὑγοῦντο δὲ καὶ τὰ ἐκεῖ (Cypri) δμοῖς σφίσιν εἶναι σὰ ὀσπέρ καὶ τὰ ἐνθάδε [Athenis].” ⁶⁾ Athen. XII, 548a: „ὁ δὲ Λύκων ἐν τῷ ἐπιΦανεστάτῳ τῆς πόλεως τόπῳ ἐν τῇ Κόνωνος οἰκιᾳ εἰχεν εἰκοσικλινον οἴκου...” ⁷⁾ Arist. Plut. 180: „τὸ Τιμοθέου δὲ πύργος.” Quae comoedia docta est a°. 388. ⁸⁾ cf. cap. II pag. 27. ⁹⁾ cf. cap. III pag. 41—43.

potuit, quo tota classis Atheniensium mox deleta esset! Dolus, quo ei successit, ut ex urbe Mytilenaeorum nuntium Athenas mitteret, prudentiam eius clare demonstrat¹⁾. Ad Aegospotamos²⁾ Conon unus ex praefectis atheniensibus nefariae socordiae non indulget, itaque solus cum suis ex ea clade servatur. Ac tam forti et audaci animo etiamtum fuit, ut paene astante Lysandro vela eius magna, quae Abarnide servabantur, surriperet³⁾. Militum seditiones, quae Cauni Rhodique eruperant, celeriter confidenterque agendo brevi tempore compressit⁴⁾. Quo denique modo in aula babylonia⁵⁾ se gessit, eo luculente cuius esset naturae et ingenii ostendit.

Pio quoque animo Conon fuisse videtur. Nam pro victoria ad Cnidum reportata gratum se praebuit templo Veneri cnidiae dedicato⁶⁾, et testamento pecuniam ingenitem legavit (quinque milia staterum, quae sunt fere septendecim talenta), qua donaria Minervae Apollinique delphico constituerentur⁷⁾.

Tempus, quo Conon classibus Atheniensium praefuit, in duas partes dividi potest, quarum altera ante annum 407 cadit, altera post eum annum. Ante annum 407 non nisi parvis classibus praefuit et tantummodo in eis maribus, quae ad occidentem spectant, ut Naupacti, circum Acarnaniam, iterum Naupacti, Corcyrae. Anno 408 iuxta Alcibiaden στρατηγὸς creatus, sed re vera imperio Alcibiadis subiectus est, quem arte peritiaque sibi longe praestare procul dubio ipse Conon ingenu confitebatur. Sed ut primum a° 407 Alcibiades, vir ingenio omnibus superior, de scaena decessit, Cononis primae fuerunt partes. Deinde a° 406 Mytilenis obsidione retentus otiosus esse cogitur; sic pugna ad Arginusas eo absente prospere facta est. Id Cononem gravissime tulisse nemini mirum videbitur. Sed mox profecto habuit, cur se tum afuisse gauderet. Ita enim effugit sortem miseram eorum ducum, qui ad Arginusas classi praefuerant, patriaeque suae servatus est. Tum secuta est clades ad Aegospotamos, quae vitam Cononis plane mutavit.

¹⁾ pag. 45. ²⁾] pag. 55. ^{3]} pag. 56. ⁴⁾] cf. pag. 71—72. ⁵⁾ pag. 73.
⁶⁾ pag. 87. ⁷⁾ pag. 92.

Hucusque enim patriae suae servierat στρατηγός i.e. magistratus populo subiectus, sed post annum 405 nullius iam imperio parebat. Tunc, quamquam patria carens, solus ac desertus et ab exule vix differens, tamen meliora tempora patriae suae tandem adventura esse minime desperavit. Neque compressis, uti aiunt, manibus consedit aliisque reliquit laborem patriae restituendae, sed e malis rursus se attollens, tales virum quaesivit, qui in opere eo consiliis atque opibus ipsi adesse posset. Euagoram invenit, quo adiuvante impigre opus aggressus neque viribus neque vitae suae pepercit, dummodo conquereretur quod ardenter et unice desiderabat, ut Athenas in veterem potentiae locum restitueret. Sic postremo Conon ipse per se quasi vis quaedam facta est, quam metuebant Lacedaemonii, Athenienses celebrabant et colebant, Persis denique ipsis periculosam habuit Tiribazus¹⁾.

Restat, ut paucis inquiramus, quid de Cononis natura moribusque statuere liceat.

Hoc primo loco ponendum est, fuisse ei aliquid, cui totam vitam dedicaret. Per omnem enim vitam, quae post annum 404 reliqua fuit, nihil aliud egit, nisi ut patriam miserrimam, quae afflita et prorsus debilitata iacebat, rursus attolleret, novis viribus augeret, tandem, si fieri posset, ad gloriam antiquam reduceret. Huic muneri ultro suscepto non per breve tempus, sed usque ad mortem omnem laborem atque operam impendit.

Iam initio res adversae multos alios deterruissent. Clades ad Aegospotamos accepta tamquam fero ictu ex rerum scaena in angulum remotum eum abiecerat. Eo tamen ictu minime contusus in ipso angulo, Cypri in insula dico, rursus se erexit, ibique tempus habuit sui colligendi, meditandi, exspectandi. Simulatque occasio data est, vel certe dari visa est, ex angulo suo prodiit, et opere laboriose suscepto, tenaci perseverantia locum suum iterum occupavit. Neque

^{1]} Antiqui quid de Conone censuerint, perspicitur ex Isocr. IV, 142 et IX, 52; Diod. XIV, 89; Cic. de off. I, 32, 116 et de Or. III 34, 139; Nepotis vita Cononis; Iust. VI, 2, 8.

tamen sibi id fecit, non ut ipse dignitatem potestatemque sibi compararet. Nam, quod non minus proprium eius fuit, magna erat integritate atque abstinentia, idque eo tempore, eo hominum inter se commercio, in quo sua cuique utilitas pro lege esset. Licet ingenio illum Alcibiades multo superaverit, quantum distat Cononis abstinentia a foedo sui amore, quem Alcibiades numquam depositus! Etiam in Alcibiadis vita unitatem quandam fuisse negari non potest, sed talem, qua semper hoc unum quaereret: quomodo sibi ipsi dignitatem, potentiam, gloriam pararet. Contra Cononis consilia hoc vinculo communi contineri regique solent, quod ipse locum suum occupare studuit, ut patriae magis prodesset; quo altior ille locus esset, eo uberius, eo latius se patriae suae servire posse intellegebat.

Sic omnibus viribus enis est, sic perseveravit, sic tandem ei successit. Iterum Athenienses valuerunt adversus Lacedaemonios, adversus insulas — postremo etiam adversus Persas. Hoc Conon non iam vidit, sed hunc finem semper ei ante oculos obversatum esse pro certo habeo. At ob id ipsum Conon vehementer culpandus est.

Praeclarum sane erat, quod agendum sibi proposuerat; laudanda est perseverantia, qua id propositum tenaciter persequebatur; integritas eius modum illius temporis longe excedit; et tamen via ac ratio, qua usus est ad id, cui studebat, consequendum, condemnanda est. Ut Athenas suas servaret, ut patriam ad gloriam antiquam attolleret, operam suam praebuit Persis, hostibus patriis, hostibus sempiternis totius nominis graeci. Eorum potentia et eorum pecunia viam ei munierunt ad propositum assequendum. Ipsius abstinentia magnusque patriae amor non magis eum excusant, quam quod cum Athenienses tum Lacedaemonii idem faciendo viam eam monstraverant. Nam sic Conon maculam aeternam et sibi et operi suo iniecit, sic scelus illud civitatem religione quasi obstrinxit. Illius peccati poenas patria luit tum, cum pace Antalcidae omnia, quae Conon confecerat, deleta sunt et Graecia in Persarum potestatem dicionemque venit.

THESES.

I.

Argumenta, quae Eduardus Meyer (*The Oxyrhynchus Papyri V* ed. Grenfell et Hunt, Londinii 1908) affert, quibus demonstret fragmenta, quae ex Theopompi Hellenicis aetatem tulerunt, genere dicendi non differre a fragmentis novi historici P, ad fidem faciendam apta non sunt.

II.

Cum v. cl. Walker (*Klio VIII* pag. 356—371) accipendum esse videtur Cratippo deberi papyrus, quae novum historicum graecum P continet.

III.

Iniuria Ed. Meyer (IV § 734) Diodoro (XIII, 104, 8) et Plutarcho (Lys. 9) auctoribus fretus contendit Lysandrum anno 405, antequam Rhodo in Hellespontum profectus sit, expeditionem in Atticam fecisse.

IV.

Seditio rhodia anni 395, quae optimates deiecit, non eodem tempore facta est, quo Rhodii a Lacedaemoniis defecerunt, sicut plerique arbitrantur, sed tempus satis longum interfuit.

V.

Verba Diodori (XIV, 70, 8): „παρεγενήθησαν δὲ τῷ Κόνωνι τριήρεις ἐνεγκούντα” v. cl. Judeich (*Kl. Asiatische Stud.* p. 65) ita vertisse videtur, ut summam Cononis navium nonaginta

fuisse censeat. Immo verba significant Cononis classem nonaginta navibus auctam esse itaque centum septuaginta navium fuisse.

VI.

Britannicum veneno sustulit Nero.

VII.

Transisse videtur Appius Claudius in Siciliam et sic belli punici primi initium fecisse ineunte anno 263, non, sicut vulgo creditur, exeunte anno 264.

VIII.

Het bekende verhaal over Gemma van Burmania, den „Stânfries” (zie W. Eekhoff, Geschiedenis van Friesland p. 160, en Waling Dijkstra, Uit Friesland's Volksleven I p. 64) is niet historisch.

IX.

In columna XI novi historici A° 1908 editi a viris doctis Grenfell et Hunt in „The Oxyrhynchus Papyri, Part V n° 842” versus 19 et 20 sic legendos putant editores:

— — — — — καὶ Δωρίμαχος

[μ]έν <τις> αὐτῶν ἀναβὰς ἐπὶ τὸν λίθον —————

itaque verbiculum τις inserunt.

Ego legere velim: — — — καὶ Δωρίμαχος

ἀρχῶν αὐτῶν ἀναβὰς ἐπὶ τὸν λίθον —————

X.

In eodem papyro legimus col. XVI, 31:

„ἀναπεισθέντες οὕτω τινῶν διαβαλλόντων ὡς αὐτοῖς μὲν οὐ μέλλουσιν ἀποδιδόναι κτλ.”

Von Wilamowitz-Moellendorf verba οὕτω τινῶν in ὑπὸ τινῶν mutanda censem.

Ego nihil mutandum esse censeo.

XI.

In eodem papyro col. XVIII, 5 in libro manuscripto legitur: Λεώνυμον τὸν τ[.....]πεν.

Von Wilamowitz-Moellendorf legere vult; Λεώνυμον τὸν
τ[ῶν πελῶν ἀρχοντα εἰ]πεν.

Mihi supplenda esse videntur Λεώνυμον τὸν τότε Φρούραρχον εἴπεν.

XII.

Euripides Phoenissae v. 1434 sqq:

προσπίτηνουσα δ'έν μέρει, τέκνα
'έκλαι', ἔθρήγει τὸν πολὺν μαστῶν πόνον
στένουσ', ἀδελφή δ' ἡ παρασπίζουσ' ὅμοι.

Nauck legenda esse censem: τὸν πολὺν μάτην πόνον.

Ego malim: τὸν μάτην μαστῶν πόνον.

XIII.

In Evangelio sec. Matthaeum XII, 4; Epist. ad Galatas I, 19; Apocalypsi IX, 4 et XXI, 27 verba εἰ μὴ non
vertenda sunt: „nisi”, sed potius: „sed”, vel „sed tantum”.

XIV.

Tac. Hist. I, 71 cod. Mediceus: ne hostes metueret concilia-
tionis adhibens.

Legendum: ne postea eum metueret, conciliaiones adhibens.

XV.

Tac. Hist. II, 60: Suetonium Paulinum ac Licinium
Proculum tristi mora squalidos tenuit —————

Scriendum: tristis.

XVI.

Tac. Hist. V, 12: cod. mediceus: magna conlubie et
ceterarum urbium clade aucti.

Non cum Nipperdeyo emendandum est: magna conluvies
et ceterarum, sed: magna conluvie ex ceterarum

XVII.

Orosius II, 16: solus dux Conon superstes bello et po-
pulo, timens civium crudelitatem, ad Cyrum regem concessit.

„Cyrum” in „Cyprium” mutandum est, cf. Iust. V, 6.

XVIII.

Stat. Theb. IV, 130 : capiti tremit aerea cassis
ter niveum scandente iuba,.....

Legatur : ter clivum scandente iuba.

XIX.

Brentano en Schuppe hebben gelijk met te beweren, dat de kategorieën van Aristoteles als praedikaten moeten opgevat worden.

XX.

Er is niets tegen om aan te nemen, wat door vele lateren bericht wordt, dat Anaximander het bestaan van vele werelden geleerd heeft.

